THESIS LATINA.

0

THESIS LATINA.

DE CASSIO PARMENSI POETA,

AC PRÆSERTIM DE QUIBUSDAM APUD SUETONIUM TRANQUILLUM EPIGRAMMATIS.

SCRIPSIT

ALEX. NICOLAS,

IN SCHOLA NORMALI OLIM ALUMNUS,
LYCÆI DUACENSIS COLLEGA, AD DOCTORIS GRADUM A FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI LEGITIME IMPETRANDUM.

LUTETIÆ PARISIORUM.

MDCCCLI.

SANCTI-CLODOALDI, — EX TYPIS BELIN-MANDAR.

FRATRIBUS OPTIMIS MEIS AC DILECTISSIMIS
MUTUÆ CARITATIS
PIGNUS HOC QUANTULUMCUMQUE.

VIRIS DOCTISSIMIS
ADOLESCENTIÆ MEÆ INSTITUTORIBUS
BENEVOLIS ET HONORATISSIMIS
PII MEMORISQUE ANIMI AC SINGULARIS REVERENTIÆ
MUNUSCULUM.

AMICIS MEIS NON ADEO MULTIS
SED VERIS ET MIHI DEVINCTISSIMIS.

D. D. D.

DE CASSIO PARMENSI POETA,

AC PRÆSERTIM DE QUIBUSDAM APUD SUETONIUM TRANQUILLUM EPIGRAMMATIS.

THESIS ARGUMENTUM ET PARTITIO.

Præstantissimum poetam fuisse et exquisitum in primis Cassium Parmensem quum nemo exstiterit qui dubitarit (1), plurimi vero qui optimo vati multa ex editis aut deperditis monumentis spuria obtruserint (2), haud inutile prorsus aut respuendum fore censuimus, si paucis paginis de veteris illius scriptoris et commendatissimi, egregiorum auctorum amici aut æqualis, operum nonnullorum αὐθεντία disputationem absolveremus.

Sed, antea jam de Cassio Parmensi disseruerunt docti, ædepol! homines et litteratis notissimi (3). Præclari et acu-

(1) Dubitavit tamen, nec audiendus est Cruquianus scholiastes, qui Cassii Parmensis et Cassii Etrusci nomina perturbat, et *parvi momenti* fuisse versus ejus scribit, in Horat. I, *Epist.* x, 62.

(2) Ne plurium hic aggeremus nomina, Achillem Estaço referamus, in Suetonii Rhetoribus, vi; Œbeke, in Gymnasio Aquisgranensi litterarum antiquarum professorem, Programm. a. 1832; ipsumque optimum et eruditissimum Augustum Weichert, in commentationibus sæpe laudandis.

(3) Cf. in primis Bayle, Dictionn. philos. et critic. édit. de Rotterdam, 1720, t. i, p. 787, sqq. Scipionem Maffei, Verona illustrata, part. ii, p. 29, sqq. (Verona, 1781).

tissimi ingenii virum huc citare concedatur aleam periculosissimam ineuntibus nobis; quem adjutorem maximum, locupletissimumque testem advocare pergratus animus hortatur. Anno jam abhinc quarto et decimo peracto, Grimæ, apud Mauritium *Gebhardt*, in lucem protulit *De Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus* inclytas duas, argumentoque ac rebus finitimas, commentationes Augustus *Weichert*. Hunc nobis prævium ducem nisi profiteremur, ingratæ ac perversæ indolis nos judices benevolentissimi merito ac jure arguerint. Sic tamen virum doctissimum secuti sumus, ut neglectis aut tantum indicatis, quæ demonstraverit, nonnunquam quæ omiserit paucissima, compleverimus; in quibus autem erravisse, si fas est dicere, visus nobis est, cum summa in talem philologum veneratione, passim emendationes solliciti hæsitantesque tentaverimus.

Liceat etiam præcellentem et veritate et elegantiis librum, in Tibullianas elegias Ludolphi *Dissen* memorare disquisitiones et commentaria. Quorum duplex volumen Gottingæ, typis et impensis librariæ Dieterichianæ, anno MDCCCXXXV, prodiit. Quali et quanto hæc usui sit de clarissimi ἐλεγειοποιοῦ vita et poesi disputatio, clarius et æquius ipsis legentibus affirmabitur; nos in transitu rerum celerrimo notabimus.

Præfatis istæc, jam exinde quæ Cassii Parmensis opera fuerint quibus inclaruerit, quæve ipsi commentitia imputentur, liceat enumerare et quandoque interpretari. Quoque nos ordo lucidus in disserendo non deserat, in bipartita disputatione, prius de re poetica, posterius vero de pedestri sermone, singulatim agemus.

PARS PRIOR.

DE POETICIS QUÆ CASSIO TRIBUUNTUR OPERIBUS.

CAPUT I.

NUM EPICA SCRIPSERIT.

Epicum fuisse poetam Cassium nostrum nullus veterum fatetur, et inter recentes homines unus ille sibi Petrus *Burmann* secundus, in Anthologia latina (1), videre visus est. Qui, quum ex codice Franekerano (2) ad versus Horatii de Cassio Parmensi nobiles (3), verba hæc glossatoris mutila et variata proderet, « Hic Epicurus fuit et poeta, » legere maluit, « Hic *epicus* fuit poeta. » Unde novam istam lectionem eruerit Burmann plane nos ignorare confitemur; ex ingenio elicuisse crediderimus, quum nemo prorsus apud veteres existat qui talia aut simile quid posteris mandaverit (4). At contra in promptu est quid Epicurium inter et Cassium commune vinculum conjunctionis fuerit, quum tot numerentur aut potius innumerabiles sint corruptioris et prolapsæ viri ætatis, qui umbratiles

(1) Anth. lat. t. I, p. 98.

(2) De codice hoc scholiastæ horatiani Franekerano, Cf. Suringar, Histor. critic. scholiast. lat. part. III, p. 119-155, Lugd. Batav. 1855.

(3) Horat. I, Epist. IV, 3.

(4) Hausit forsan e Chytræo, qui cum *Orpheum* Cassii Parmensis ederet, *Francfort*, 1585, sic opusculum inscripsit : « Cassii Parmensis, poetæ inter *epicos* veteres eximii, Orpheus. »

et hortorum illorum epicureorum amore tacti, gregem delicatulum (bona pace dixerimus!) compleverint. Inter aurei quod dicunt, temporis poetas, quis non ἐπικουρίζει? Jamdiu infecerat Romam urbem fractæ hujus et elumbis disciplinæ pestis ac venenum. Quid Lucretium et C. Catullum memoremus, et Calvum, et post hos Cornelium Gallum, aut Valgium? Quid Albium Tibullum ac Propertium, Ovidiumque et Horatium (1)? Hi saltem almæ Veneri addicebantur. At nonne ipse qui pudicus ac *Parthenias* apud antiquos audivit (2), Virgilius iisdem favit institutis, et, Syrone magistro (3), insanienti philosophiæ incubuit, et carminibus etiam epicurearum fabellarum imaginem expressit (4)? Nullus fere fuit, modo probatus fuerit, qui non ad mores illos et diversoria deflexerit. — Num ergo et Cassius? — Haud equidem affirmamus; placet tamen speciosa credulitas, quum in versibus Horatii laudatissimis, Tibullus Cassiusque propter opuscula conferantur. Cur isthæc poeta sagacissimus, nisi propria quædam et peculiaris similitudo inter scriptores hos duos insederit? Et major etiam rei fides adjungatur necesse est, quum ipse Acron, antiquissimus poetæ Venusini com-

(1) Epicureis hominibus, ipso fatente, Flaccum adnumeramus, licet

Nullius addictum jurare in verba magistri.

Quanquam enim et magnos quandoque spiritus et stoicos redolet, sæpissime in Aristippi præcepta relabitur, et Venerem divina carmina spiravere.

(2) Cf. Bayle. v. *Virgile*; Donat, *Vit. Virg.* § 22. Modo non Plotia Varii, nec Hieria puella, nec Alexander, nec Cebes, in doctorum rumusculis, objicerentur. Cf. Donat. Virg. Vit. v, § 20; Martial, VII, 29; Apul. *Apol.* p. 279, *Elmenhorst*, et vol. II, p. 405, ed. Bosschæ; Spohn, Prolegom. ad Virg. Bucol. p. 24, edit. Wagner, t. I. Cf. Weichert, De Luc. Vario, p. 89, sqq.

(3) Cf. Donat, Vit. Virgil. § 79 : « Audivit a Syrone præcepta Epicuri. »

(4) Cf. J.-H. Voss; Comment. Virgil. in latin. sermon. convertit Reinhardt, Lips. et Paris, 1838, part. II, p. 5 et 23, sqq. Non tamen, Epicuro deditus, ceteros eliminat poeta ille eximius. « Quamvis diversorum philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo maxime videatur, ipse tamen fuit academicus : nam Platonis sententias omnibus aliis prætulit. » Donat, *l. c.* Quod facillime ex quarto et sexto Æneidos libro expresseris.

mentator (1), in l. c., Cassii opera elegiaca collaudet (2). Sed hæc in præsentem horam omittere potius judicaris. Satis tamen ex antecedentibus apparet cur *Epicurus* haud absurda sit omnino, quum de Cassio agatur, scriptura ; et, si quid in verbis istis immutandum esse cum animo reputaveris, quam melius et planius *Ruhneken* ille qui, ad Velleii Paterculi Epitomen (3), sic glossema edidit : « Hic epicureus fuit et poeta. » Ne minimus ergo Petri Burmann conjecturæ locus detur, nec inter epicos Cassium Parmensem adnumeremus.

(1) De Acronis et Porphyrionis ætate videsis quæ splendide disseruit Suringar, Hist. crit. schol. lat. part. III, p. 9-30.

(2) Cf. Acron. in Horat. I, Epist. IV, 3.

(3) Vid. Ruhneken, in Vell. Paterc. II, 88, § 1.

CAPUT II.

NUM GNOMICA.

Exstant tamen, quos objiciunt, Cassio imputati undeviginti versus epici. De quibus dispiciendum est, num epicum sit quod in eis exponitur argumentum, nec non si vere ac legitime Cassio nostro attributi sint.

Poema vulgo *Orphei* nomine inscribitur. Nec tamen Orphei ad inferos demigrantis fabulam his versibus poeta insignivit. Satius credas philosophantem poetam, quum laborum ac studiorum mercedem maximorum maximam in gloria nominisque dignatione posuerit, Orphei exemplar notissimum protulisse. Quippe tali tenore carmina componuntur : Quum primum Orpheus citharam sumpsit, multi vocem indoctam dissonosque digitorum pulsus risere. Mox pudore et gloria incensus, remotis jam puerilibus, et plectro incumbens, dulces illecebras somnumque repudiavit. Tum risores evincens, scopulos cantu et silvas traxit. Quin etiam vetitum Orcum adire ausus, Manes demulsit lyræ vocisque modulamine doctissimo. Versibus quatuor ultimis rem totam vates absolvit :

> Non levis adscensus, si quis petit ardua. Sudor
> Plurimus hunc tollit : nocturno exsomnis olivo
> Immoritur : jactat, quod mox laudaverat in se,
> Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Argumentum in his totum est; cetera sententiæ ornamento et documento sunt. Quod si opus recolligas et quid sibi cupierit scriptor attendas, plane perspexeris morale et præclarum legentibus sapientiæ cogitatum splendore ora-

tionis augere ac instruere illum voluisse. Vatem igitur, quicumque sit, non inter epicos, quamquam versiculos epicos scripserit (1), sed inter gnomicos referendum censeamus.

At res altius aperienda est. Neque enim poematis formam atque rationem intellexisse jam satis magni foret instrumenti, si non et scriptionis auctorem illustraremus. *Quis genus? unde domo?* Non, hercle, romana gens, si arbitrio integro utimur, non latii penates (2).

Quis *auro distinctam citharam* condonet, quæ χρυσέα φόρμιγξ apud Thebanum μελοποιών audit (3), et *aurea testudo* apud Horatium (4), legitimo vocabulo perhibetur?

Num *Rhodopeius* ille admittetur *heros*, qui non bellator est, non Heraclides, sed vates vix dum cunabulis egressus, Orpheus admodum juvenis, indocto adhuc ac rudi ingenio?

Nemo *digitos micantes* de fidium impulsu nervorumque increpatione sustinebit, quæ verba eximius Æneidos scrip-

(1) Epicum *carmen* et *poesin* epicam verissime distinguit Heyne, in Virg. Vit. per annos digesta, a. U. C. 735, p. CCXXV; assentit Aug. Weichert, de L. Vario poet. p. 61.

(2) Undeviginti hos versus, quo planius quam impoliti sint ac serioris ætatis fetus miserrimi appareat, huc apponemus, ne nimia succensio nos in severiorem rerum ac verborum vituperationem immisisse legentibus videatur :

Argutæ primum cum plectra parentis et auro
Distinctam sumsit citharam Rhodopeius heros,
Ridebant segnes pulsus, digitosque micantes
Serius et chordis indoctæ dissona vocis.
Mox pudor exardens, et gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus. Omnis et illuc
Perditus incumbens, Musæ pallebat amore,
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus. Hinc illinc discens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus : somni fuerat parcusque Lyæi,
Donec, ridiculus dudum, modulamine silvas,
Evulsosque suis scopulos radicibus egit.
Ausus et ire viam viventibus inconcessam,
Pœnarum oblitos demulsit carmine Manes.
Non levis adscensus, etc.

(3) Cf. Pind. Pythic. I, 1.

(4) Cf. IV, Horat. Carm. II, 17.

tor de manu ferro inter præliandum decisa usurpat, dum ensem illa nisu retractat inutili (1)?

Quid dicamus de *chordis dissona vocis* pro chordarum vocisque discordia?

Num toleretur in latinis *pudor* ille *exardens?* Pudor virtutem provocat : pudori succedit animorum ad gloriam alacritas; non ipse tamen exardet pudor.

Non æquiore animo accipiatur illa *gloria dulcis honesti;* mira ταυτολογία!

Verum ne ac latinum credas quod sequitur *illuc incumbens,* quum vox *illuc* ad rem antecedentem nullam, præter *exardentem pudorem* aut *honesti gloriam*, referri queat?

Num pura et salubri oratione, *illuc*, *ille*, *illinc*, tres fere conjunctis tignis versus consociant?

Cui placeat tergemina ἀντίθεσις : *Nunc maternis.... nunc paternis cantibus.... hinc illinc.... dependet utrimque.*

Quis sentiat quibus rationibus ac modis *Venus faciem compedibus* tenere queat? In Flacci carminibus crura compede peruruntur (2); ubinam gentium facies compedibus capitur? Quod si verborum compositionem perrumpas, et, præpostera ordinatione, *faciem* et *mentita* copules, hæret tamen pes in luto; quidnam est illud *faciem mentiri?* Quam demum faciem? Num in his aut latina subodoraris, aut sensum ullum indagare queas?

Jam *parcus Lyæi* ille esse potest qui parum Baccho indulget, sed melius ille qui maligna manu aliis pocula subministrat (3).

Et ne rei ingratæ diutius immoremur, utque jam ad finem properemus, dicat, cui potior sententia est, quomodo *sudor* virum *tollere* possit, dum gloriæ immortalitatem studiorum opera sibi comparet; aut qua via *olivo immoriatur* ille qui ad nocturnam lampadem labori invigilat;

(1) Virg. *Æn.* x, 396.

(2) Hor. *Epod.* iv, 4.

(3) Sic Tullius, *Balb.* xxii : « Nimium parcus in largienda civitate. » Et Flaccus, III, *Carm.* xv, 43:

> Bene est cui Deus obtulit
> Parca quod satis est manu.

aut qua sensuum in omnibus insitorum perversione, *jactare quod mox laudaverat in se* dicatur ille qui non, nisi longis ac iteratis conatibus, male eruditum ingenium a ludis demum avocavit, et fortiter ac strenue totus ad maxima excitatus est, quum memoriam hominum sempiternam concupiverit?

Quæ quum ita sint, et tot nævis carmen *Orphei* deformetur, nulla exstat causa cur jam Cassio Parmensi referatur, quum vel vere Romano irrogari nequeat (1).

Disceptationem tamen longius intexas. Non enim omnino, per nos licet, fides criticæ adjungatur, et latina, esto, lingua locutus fuerit ille. Sit Romanus, non barbarus; modo non tam projecta et socialis nostra sit rerum aut hominum patientia, ut carminis hujus fabricatorem inter Cæsarianæ et Octavianæ viros ætatis adscribamus. Multa enim ab Horatio et a Virgilio mutuatus est aut furatus, multa etiam a Seneca vel a Persio satyrico et a Juvenale. Quid manifestius aut apertius est quam spolia illa ex Horatio derepta?

.... Musæ pallebat amore,
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus (2)....

Vel isthæc:

.... somni fuerat, parcusque Lyæi (3).

Aut aliunde:

(1) Nec satis mirari possumus quod hos versiculos tantopere miratus fuerit vir ingenti doctrina omnis generis instructus G. Barth. ad Claudian. de Rapt. Proserp. præf. lib. II, v. 24, p. 904.

(2) Cf. Horat. I, Carm. XII, 9 :

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus.....

(3) Horat. ad Pison. v. 414 :

Abstinuit Venere et vino....

.... modulamine silvas,
Evulsosque suis scopulos radicibus egit (1).

Nonne horatianum etiam quid hæc personant?

.... jactat, quod mox laudaverat in se (2).

Retulit nec non ex Virgilio manubias, sed inter ipsam direptionem mutatas, immane quantum!

Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus (3).

(1) Horat. I, Carm. xii, 7 :

Vocalem temere insecutæ
Orphea silvæ.

Id. I, Carm. xxii, 13-14 :

Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem.

Id. ad Pison. v. 395 :

Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet...

(2) Horat. ad Pison. v. 165 :

Amata relinquere pernix.

Non liquet qua ætate ad Pisones epistolam brevem nimis et doctissimam conscripserit Horatius. Si tamen viri acutissimi Wieland, ingenio confidas, qui anno 1782, *Dessaviæ*, et enucleavit artem hanc poeticam et miris versibus in germanicum sermonem transtulit, non omnino in ambigua re pendebimus. Anno circiter U. C. 738 leges has fixisse litterarias Flaccus existimabitur. Consul enim fuit, anno 739, L. ille Calpurnius Piso, illorum pater quos juvenes plerumque vocat Horatius in carmine (v. 24, 366). Nondum consul fuerat quum versus horatianos accepit; nempe nihil de re in epistola ipsa comperiatur. Nec longe tamen antea scripsit Flaccus epistolam, quum majorem Pisonum talibus verbis alloquatur qualibus virili veste modo non ornatum juvenem decebat. Atqui Vell. Paterculus (ii, 98, § 3) Pisonem urbis fuisse præfectum enarrat, anno U. C. 783, quum ipse historiam absolveret; nec fieri potest qui Piso, quum anno 783, securitatis urbanæ custodiam obtineret, quadraginta ferme ante annis, in toga virili filium habuerit. Anno U. C. 739 *Bentlei* artem poeticam ab Horatio scriptam censet; Augustus Weichert post annum 730, ante annum 735, esse confectum asseverat. Cf. de L. Vario poet. p. 66, et Poetar. latin. reliq. p. 336.

(3) Cf. Virg. Georg. iv, v. 515 :

Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenæi.

Pœnarum oblitos demulsit carmine manes (1).

Proh! quam arida laurearum folia, et manibus attrita quam durissimis! ni tamen censuerimus, inversis et invidis fatis, Flaccum ac Maronem misellas et male conformatas species a Cassio illo imitatos fuisse scriptore intestabili vates optimos et maximos. Obstat vero quominus credas, et Cassii Parmensis laus in scribendo, et furtorum reliqua pars quæ proximorum degenerem ætatem hominum hortulo referenda est. Qualia hæc sunt :

Ausus et ire viam mortalibus inconcessam (2).
.... Musæ pallebat amore.

Aut etiam ista :

.... nocturno exsomnis olivo
Immoritur (3)....

Utque jam exemplorum vim et auctoritatem horum recolligas, facit impedimenta ratio temporum ne a Virgilio vel a Flacco tales quisquilias Cassius, et quam maxime ne a Persio vel a Juvenale ipso decerpserit.

Poteras dixisse fortassis, non ad Cæsaris vel Octaviani

(1) Id. ib. v. 466 :

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesque adiit, regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Cf. etiam, v. 480-484 :

Quin ipsæ stupuere domus, etc.

(2) Quæ quum et Maronem secuta videantur, Senecam tamen in mentem revocant : « Audax ire vias irremeabiles. » Hercul. fur. 547.

(3) Persius, v. 62 :

Nocturnis juvat impallescere chartis.

Cf. etiam in Satyr. I, 26 : « En pallor seniumque ! » de poeta nimio studio incumbenti. — Cf. et Juvenalem, VII, 99 :

Petit hic plus temporis atque olei plus.

æqualem referendum esse carmen, non tamen ideo scholastici poetæ aut effetæ omnino ætatis esse monumentum. Quidni et Lucano adsignemus? Scripserat et Lucanus *Orphea*, quod ex Papirii *Sylvis* quondam eruit miræ perspicientiæ indagator (1). Protinus ex obliquo rumpunt propositum et illa quæ modo de Persii carminibus relata sunt in *Orphea* Pseudo-Cassii per imitationem intrusis (2). Obstat etiam vivida et libera Lucani audacia et promptius nec indecorum ingenium. Quanquam enim eo tunc adducebantur latinæ litteræ ut præceps agerentur, non tamen adeo steriles ac evanidæ sordebant, ut non et mira et præcipua quædam pulchritudinis species informaretur a poetis; inter quos vel primas tenet infelix et intra trecesimum annum camænis præreptus Lucanus, spes Urbis jam senioris et canescentis altera, nec in tantum dejectus, ut ipse versiculorum quos enarravimus crimen incurreret, frigidorum et plumbeorum!

Sed ex ipsis Papirii versibus exoriuntur Lucano a rmen abnegandi causæ nonnullæ. Non enim utrique, ni fallimur, poemati et Lucani et Pseudo-Cassii suberat idem prorsus argumentum. Ad litem vocetur jam Statius. Apud quem Calliope his verbis Lucanum alloquitur:

> Tu sedes reserabis inferorum;
> Ingratus Nero dulcibus theatris,
> Et noster tibi proferetur Orpheus (3).

Primus quidem versiculus rem aperit de Orpheo ad

(1) Lucanus Persii carmina æmulatum fuisse videri forsan poterit, quum quatuor post satyricum poetam annis natus, triennio tamen eum vivendo superaverit (a. Chr. 38-65); sed, ne deerremus monet in vita Auli Persii ille Suetonius qui non statim in publico venales satyrarum libros exstitisse narrat: « Et raro et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri: et quasi finitus esset, leviter retractavit Cornutus, et Cæsio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. »

(2) Marckland, In Stat. Papir. II, Silv. VII, 58, sqq Cf. etiam vetustum vitæ Lucani auctorem; necnon et versus quos e Lucani Orpheo servavit, ad Virgilii Georg. IV, 493, Servius Honoratus: » Gaudent a luce relictam Eurydicen, iterum sperantes Orphea manes.

(3) Papir. II. Silv. VII, 57-59.

manes descendente fuisse narratam. Maronis, si dicere fas est, æmulator, Threicium cecinit ad infernas sedes migrantem citharistam, ut illinc arte divina Eurydicen suam uxorius poeta reduceret; neque tantum, philosophantis in morem, Orphei exemplar documento vertit, ne quis ob laborum nimietatem a gloria suscipienda deterreretur.

Quum igitur tantum ab his versibus qui fons et origo fuere disputationis, discrepuerit Lucani argumentum, si ex Papirii testimonio rem disceptare licet, non Lucano poematium irrogemus. At Lucanum in jus appellantibus maximopere obstant corruptæ et insanabilis orationis vitia, quæ ab auro jam remoti ac depravati seculi et squalescentis ingenii notam inustam præ se ferunt.

Deterioris igitur ævi inficeto et incauto versificatori tribuatur male ominatum poema. Media, quam vocamus, et infima latinorum scriptorum ætas commentitiis et confictis istis, alieno nomine, operibus insueverat. Legere est, inter alia, quæ plurima sunt, simillimum fere in Orphea et Ciceroni imputatum fragmentum (1); miserabile vero carmen est, et tanto judicio prorsus indignum. Fuere tamen qui Marci Tullii cogitatum crediderint (2). Redolet dissonum quoddam et barbarum, nec, adumbratione levissima, præstantem illam et purissimam dicendi artem et elegantiam retinet quæ viri maximi vel solutam orationem vel poeticos et constrictos numeros animis altius infigunt. Rerum inopiam et verborum inconcinnitatem easdem profert ille Pseudo-Tullius quibus insignitas modo Parmenses (si Diis placet!) chartas notavimus.

(1) Cic. Opp. edit. Venet. 1593. Cf. Fabric. Bibl. lat. ed. Ernesti, t. I, p. 255: Weichert, de Cass. Parm. p. 297. *Orpheus* inscribitur, seu *De adolescente studioso*, et scriptum fingitur ad Marcum, Tullii filium, Athenis commorantem.

(2) Cf. editionem poematis à Frid. Monavio vulgatam, Elbingen, 1643. Pseudo-Tullius Pseudo-Cassii carmen πάντα περὶ πάντων et paraphrasi copiosiore extendit; unde et recentior apparet. Primus editor Squarcia, in gaza D. Marci, reperisse, si qua fides, dicitur. Idem argumentum olim præstrinxerat Palladius, in Orphei allegoria; *Poet. lat. minor.* Coll. Lemaire, t. II, p. 451. Cf. Pith. lib. IV; Scalig. in Catal.; Burm. *Anthol. lat.* lib I, *epigr.* 136.

Sint ergo, si volueris, coævi poetæ, et propter simillimam rerum tractationem et propter sententiarum dictionisque parem admodum (ne graviora dicamus) incuriam. Id modo inter utrumque intersit quod de Pseudo-Tullio nondum compertum est quis fuerit qui, velo sibi præposito et involucro, in alienam laudem ac famam temerarius irruperit (1); de Pseudo-Cassio res innotuit, et reum, nisi fatentem at convictum tamen, obtinemus.

Commenti exordium facile comprehendes, si ad primæ omnium editionis incunabula revertaris. Sed ne rem actam agere videamur, de vero carminis auctore in eximia et doctissima Augusti Weichert commentatione (2), post nostratis S. L. opellam (3), pensitatum et luce clarius apertum jam esse moneamus. Nobis hoc placet si modo Cassio Parmensi tanta versiculorum irrogari nequeat deformitas; quod erat dijudicandum.

(1) Si non auctorem, at ætatem tamen carminis suspicari possumus. Prima Pseudo-Cassii editio prodiit Romæ, a. 1565; prima Pseudo-Tullii apud Venetos, a. 1593. Atqui neminem fugit quam serviliter priorem posterior sit imitatus ac pœne expilaverit; geminum igitur *Orpheum* anni fere triginta dividant. Inter a. 1565 et 1593 egregiam suam habuerit Pseudo-Tullius originem.

(2) Cf. Aug. Weichert, de Cass. Parm. poet. p. 295-300.

(3) Cf. Magasin encyclop. III[e] année, t. VI, p. 354-355.

CAPUT III.

NUM PASTORITIA.

Quid vero de illis referamus qui bucolicis operibus *Orphea* immiscuere (1) Parmensem (si creditur), quanquam neque pastorum lusus, nec amores aut jurgia recitat? An ex eo fides exoriatur quod et *scopulos* et *silvas* inducit poeta et omnia quæ muta ac inanima sublimi cantu Orpheus secum traxerit? Agrestia sane et pastoritia profitemur; sed inter eundum et viando ac quasi furtim et fortuito hæc in carmine apparent; adventitia sunt et subcesiva et fere externa; non ex visceribus rei eruuntur. Si tamen his ac fere similibus vim disceptandi quamdam ac vigorem nonnullum inesse credas, cur non poema etiam inter lyrica retuleris, quum et *citharæ* illudat auctor, *digitisque* chordas *serius micantibus* increpet? Sed neniæ hæc et crepundia; nec tanti est; neu sit lyricus, dum nec pastoritius *Orphei* informator. Sit gnomicus, ut ex rerum argumento jam antea confirmatum est. Re vera nihil ad Cassium.

(1) Rittershuysen, in Phædr. fabul. lib. III. Prolog. p. 152, sqq. et Wernsdorff, *Poet. lat. min.* in Biblioth. class. lat. Lemaire, t. I, p. 666-667. Wernsdorff, quum inter pastoritios poetarum lusus Cassii *Orphea* referat, secum ea cogitavit appellari Græcis *Idyllia*, quæ Romanis *Opuscula* dicta sunt (t. I, p. 323 et p. 617 : « *Opusculorum* non alia quam *Idylliorum* significatio est. » Optime quidem, sed non ita tamen, ut cum Idylliis Pastoritia confundantur. Quod non omnino cavit vir egregius : « Idylliis veterum accensemus C. Cassii Parmensis Orpheum : nam in eo carmine princeps ille lyricen cantu silvas et scopulos trahens et animalia fera demulcens, quasi sub obtutum ponitur. » (p. 617) : « Quæ et formam idylliorum habere.... (p. 324). » Tunc Nemesiano et Calpurnio versus Cassii Parmensis adnectit, et Septimii Sereni Moreto multisque aliis generis pastoritii carminibus immiscet.

CAPUT IV.

CASSIUS EPIGRAMMATICUS.

Nec illos audiamus, qui *Orphea*, pro genuino et Cassiano, *epigrammatis* adscripsere (1). Hoc tamen æquiore, si placet, animo acceperimus, quam illud modo tulimus quum idylliis adnumerabatur. Non enim solam mordacis ingenii acerbitatem, acresque didacitatis aculeos, τὰ σκωπτικά, epigrammatum nomine significant grammatici; sed omnifarii generis opuscula uno communique vocabulo conjunxerunt. Sed, utut rem intelligunt, missos eos faciamus, quum spurium vel *Epigrammatis* titulo sit poema. Referamus vero, neglectis quæ conficta sunt, inter epigrammaticos peculiari demum adpellatione et maledicos homines Cassium nostrum Parmensem. Mira quædam ejus laus fuit verborum jocos, et ridicula contorquere dicta. Quod in aprico erit, vel si unum alterumve ex Horatianis interpretibus percontaberis. Legitur apud Acronem super Cassio : « Hic aliquot generibus stylum exercuit; inter quæ opera elegiaca et epigrammata ejus laudantur (2). » Nec absimilis scholiastes Cruquianus : « Hic aliquot generibus stylum exercuit; inter quæ opera elegi et epigrammata laudantur (3). » De elegis modo post disseremus. Quod ad Cassii epigrammata nunc adtinet, manifestum est, ex Horatii vetustissimis explanatoribus, et fuisse illa, et summis cum laudationibus apud latinos in-

(1) Pithou, Epigram. veter. IV, p. 156; Burmann, Anth. lat. lib. I, *epigr.* 135; H. Meyer, Anthol. vet. lat. epigr. et poemat. t. I, n° 112.

(2) Acron, in Horat. I, *Epist.* IV, 3.

(3) Schol. Cruq. in Horat. *ibid.* p. 527.

claruisse. Sed quænam fuerint, in quem, aut si quæ ex iis supersint reliquiæ, nondum annorum serie obliviosa erasæ ac penitus obliteratæ, nunc erit inquirendum.

Exstat præclarus apud Quinctilianum locus, qui Cassii cujusdam fragmentum, nulla discriminis nota memorati, continet, et doctorum virorum animos in litem utrum Parmensi versus foret condonandus necne, impulit. Fabius ante omnes ipse audiatur : « Et quoniam similium alia facies in tali ratione, admonendum est, rarius esse in oratione illud genus, quod εἰκόνα Græci vocant (quo exprimitur rerum aut personarum imago, ut Cassius : *Quis istam faciem lanipedis senis torquens?*), quam id quo probabilius fit, quod intendimus (1). » Minime dubium est quin res e comœdo vel ex epigrammatico poeta eruta sit. Quippe risus et cavillatio subest. Egregius Quinctiliani commentator, *Spalding*, ex epigrammate versum relatum esse opinatur (2), nec inficias ivit Augustus *Weichert* (3). Sed in ponderando et corrigendo carmine uterque plurimam attulit et diligentiam et anxietatem, ut tetrametrum inde iambicum, vel glyconici versus particulam asclepiadeum excipientis eliceret. Si post nobilissimos judices rem fateri liceat, fragmentum quale ex Quinctiliano protulere libri vetustissimi (4), integrum et inviolatum retinebimus. Neque metrorum emendatione facienda concutiamur. Qui anapæstum in quarta sede toleraverunt, tolerent et dactylum in secunda. Sit scazon (5), et pede uno vel altero claudicet, si manu scripti codices claudicantem tradidere nec sanabilem; modo legitimum auctorem detur aucupari.

Si versus comicus est, qua via Cassio Parmensi tribuatur, quem comœdias posuisse a nemine repertum sit?

(1) Quinctilian. Instit. orator. v. II, § 24.

(2) Spalding, in Quinctil. *l. c.*

(3) Weichert, de Cass. Parm. poet. p. 274.

(4) Codic. Turic. Paris. 1, 2, 3 (Vid. Zumpt., Supplem. p. 279); apud Weichert, p. 275.

(5) Cf. Spalding, *l. c.*

Quod si versus epigrammaticus est (et quid vetat quominus genere in tali risus et procacia cavillatoris prodierint, metris liberrimis?) quianam Parmensi uni (1), neglectis aliis qui Cassii nomine apud antiquos eminuere, adsignarentur reliquiæ istæ obscuriores? Haud Parmensem quidem repudiamus; sed cur Severum exterminas (2)? Nonne et hunc in celeres iambos juvenilis ardor et notissima irridendi consuetudo mittere potuerunt? Floruit enim et ipse apud veteres fama mordacis petulantiæ (3). Quam ob maledicentiam sibi comparavit ut multorum simultatibus obrueretur (4). Augusto adhuc vivente, « viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat (5), » eaque jam libidine incautus effecerat ut in scripta suppliciis animadverteretur (6). Mox silere indocilis, Cretam sub Augusto relegatus, ab irrisione non deterritus, quum Tiberio jam orbis laboraret, Severus, graviore pœna, bonis exutus, « interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit (7). » Quæ quum ita sint, quidni fateare versiculum e famosis Cassii Severi libellis a Quinctiliano evocatum memorari potuisse?

Movet tamen viri nostratis eruditissimi auctoritas, qui horatianas quum illustret Epodos, Cassium oratorem magna cum asseveratione versus omnino confecisse denegat (8). Voluit contra et poetam et amarulentum fuisse

(1) Sic enim statuunt Spalding, ad l. l., et Weichert, p. 274, 275.

(2) Burmann Severum admittit; sed tragœdiæ inscienter locum adscribit; quod merito respuit Weichert, *l. c.*

(3) Contulit Weichert (p. 195-196), Quinctil. VII, 3, § 27, VIII, § 3, 89; X, I, § 116; XII, 10, § 11; Senec. *Controv.* II, 12, p. 173, Bip.; Id. *ibid.* lib. III, p. 395-400; Tacit. *Dial. de Orat.* XIX, XXVI; Sueton. *De illust. Gramm.* XXII; Macrob. *Saturn.* II, 4, p. 358, Z. — Cf. etiam, si tanti feceris, Cassii Severi reliquias, in Orat. rom. Fragm., *Turici*, 1832, ed. V. D. Henr. Meyer, p. 225, sq., aut Parisiis, ed. Dubner, 1837.

(4) Tacit. *Annal.* IV, 21.

(5) Tacit. *Ann.* I, 72.

(6) Cf. Tac. *l. c.*; Dion. Cass. LVI, 27; Sueton. *Calig.* XVI; Senec. *Controv.* V, p. 321, Bipont., in præfat.

(7) Tacit. Ann. IV, 21.

(8) Vanderbourg, t. II, p. 2, p. 461.

Cassium Severum vetus ille Flacci explanator, Acron scholiastes. Ab illo hæc accepimus : « Cassium maledicum poetam in se irritat minaturque (*Horatius*), si solita rabie fuerit elatus (1). » Addit et Cruquianus : « Invehitur in Cassium Severum (2). » Nec diffitentur multi et veteres codices manu scripti, qui titulum præferunt : « In Cassium Severum (3). » Per totum quidem hoc horatianum odarium vix percipi queat de poeta hic rem agitari; non tamen addubites quin Cassium in Severum Flaccus invehatur, aut quin revera poeta ille exstiterit, quum unum idemque antiqui interpretes contestentur. Quid enim jam narrantium fidem possit infringere? Quod nimius et pervicacior fuerit Severus hominum ac morum dejectorum impugnator, nimiæque ac liberioris audentiæ, quam ut ignavum eum et venalem acerrimis verbis Horatius transfixerit (4)? Quam dubitandi causam mira quidem doctrina irrupit clarissimus Weichert (5). Non enim hic de perfectissimo illo et notissimo jam oratore Cassio Severo agitur, multis jam et forensibus et publicis certaminibus nobilitato, cujus laudes propter loquentiam et Quinctilianus (6) et Seneca (7) et Cornelius (8) concinunt, sed de juvene Cassio eodem Severo, et tirone, inter litteratos adhuc ignobili, nec dum ab infimi generis sui

(1) Acron. in Hor. *Epod.* VI.
(2) Schol. Cruq. *ibid.*
(3) Cf. Weichert, p. 208.
(4) Horat. Epod. VI, 1-2 :

> Quid immerentes hospites vexas, canis
> Ignavus adversus lupos ?

et v. 9, 10 :

> Tu quum timenda voce complesti nemus,
> Projectum odoraris cibum.

(5) Weichert, p. 209-211.
(6) Quinctil. *Instit. orat.* X, I, 116 : « Si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. » Cf. *ibid.* VII, 3, § 27; XII, 10, § 11.
(7) Senec. *Excerpt. ex Controv.* III, Præfat.
(8) Cf. Tacit. *Dial. de Orat.* XIX, XXVI.

latibulis et pauperrimo ac fere lutulento victu ad lucem emergente. Qui dum famam circumpicit et vitæ rerumque inopiam defendit, inter plurimas illas rei publicæ tristitias et conversiones quæ legum excisionem et mox C. Cæsaris trucidationem exceperunt, antequam et ingenio effloruerit, et primos audendo obtinuerit, potuit ad satyricos archilochiosque iambos mentem intendere. Quapropter et affirmare ausimus Cassium hunc ipsum fuisse quem Horatius muro effractum impegerit. Suadet etiam ut credamus temporum ordo ac series. Nulla est horatianarum Epodon, profitente Weichert (1), quæ post annum U. C. DCCXXIII, scripta sit. Atqui tum vigesimum ætatis annum vix Cassius Severus absolvebat (2); et innata dicacitatis virulentia tum primum cœpit erumpere, et infimos exordio, at mox splendidissimos etiam homines procaci lingua, nec soluto tantum sermone, sed epigrammaticis, ut fit, numerosisque salibus et fricuisse et irritavisse vere existimaveris. Mirum sane videri queat quod non enucleate illi omnes qui Cassium Severum laudavere scriptores veteres, illum ob poetica extulerint. Si vero non plura consentiunt in eum testimonia, rem clarius ex eo interpretari licet, quod primo versiculis, inter omnia hæc quæ viventibus occurrunt obluctando, dicacissimus, fama jam certior, juventuti sua ipse fumum objecerit, et, oratorii luce ingenii, vultum atque ora hominum oppleverit. Si quid ex istis verum ac sincerum erui fatebere, et poetam fuisse et epigrammaticum intra juventam Cassium Severum haud infitiaberis. Quæ si demum cum optimo et doctissimo Weichert evicimus, quid abforet quin et Spalding (3) et ipsi Weichert (4) obloquamur, qui Parmensi probabile nonnihil affingunt, et Severi poeticam maledi-

(1) Weichert, p. 210.

(2) Conferas quid de eo quo natus sit Cassius Severus tempore et de ipso quo obierit anno scripserit Weichert, De *Cassio Parm.* p. 203.

(3) Spalding, in Quinctil. v, II, p. 24; non tamen Cassium Parmensem versuum istorum artificem esse, sed esse potuisse contendit.

(4) Weichert, *l. c.* 273-275.

centiam prorsus oblivione opprimunt, ubi in causa de versiculo Cassii illius apud Quinctilianum agentis litem æstimant? Nos et sententia pendere confitemur, ac ne scrupulum quidem habere, quo injecto partem in alteram judicium vergat.

Materiam vero altiorem et conjecturæ vel prædictis propiorem Weichert in Cassio suo elaboravit.

Epigrammata quippe nonnulla in Suetonii Augusto, LX, leguntur, triumvirum Octavianum impetentia, summis contumeliis, neque auctoris nomen præferentia. Unde innumeras divinationis ansas retinere est. Weichert Parmensi partim epigrammatum hos aculeos tribuit (1). Jam versiculos habeatis :

I.

Quum primum istorum conduxit mensa choragium (2),
Sexque deos vidit Mallia (3) sexque deas :

(1) Weichert, p. 275.

(2) Correxit, cum Casaubon et Burmann, Cl. Weichert (p. 278-279) et *choragium* per συνίζησιν, non *choragum* scripsit. Dixit et Ovidius, *Metam.* xv, 718 : « Et tellus Circæa et spissi littoris Antium. » Cf. Wagner, in Virgil. *Æn.* I, 2; VI, 33. Manu scripti etiam Suetonii codices (Weich. p. 279) *chorangium* nonnulli præferunt; unde veram lectionem licet extrudere. Vox *istorum*, in qua multi hæsitavere, forsitan enumeratos in antecedentibus homines attingebat, ut suspicatur Weichert (p. 279); nec totum epigramma se referre Suetonius profitetur.

(3) Aug. Weichert (p. 280) prius, cum Ernesti, sub Malliæ vocabulo latitare Liviam crediderat, et credere non erat absonum. Duo enim hæc nomina eumdem syllabarum et numerum et ῥυθμόν absolvunt. Quas leges in permutandis personis plerumque sanxisse homines latinos contestantur critici. Cf. Bentlei, in Horat. II, *Carm.* XII, 13; Weichert etiam Augusti proposito favebat Ernesti effatum. Quum enim ille post a. U. C. 718 epigramma effictum asseveret, mira quædam oriebatur rerum et sententiæ concordia. Anno enim U. C. 716, uxorem abduxit Livium Octavius, si testimonio Dion. Cassii (XLVIII, 43) utamur. Novimus et quæ nimia fuerit Liviæ in maritum comitas (Tacit. *Ann.* v, 1 ; D. Cassius, LVIII, 2, Suet. *Aug.* 71). Non tamen in priore judicio stetit Weichert, neque ἀλληγορίαις poetam locutum esse ulterius contendit. Nec enim verbis alium sensum quam quem præ se ferunt, habentibus, aut involucro quodam, Cæsarem, sed aperto et proprio vocabulo designat; cur non et Liviam designasset? Constat alioquin et libertam fuisse Malliam. Cf. Gruytère, *Inscript.* 984, 2. Sit igitur moribus facillimis insignita pantomima quædam illa Mallia.

Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria :
Omnia se a terris tunc numina declinarunt;
Fugit et auratos Jupiter ipse toros (1).

II.

Pater argentarius, ego Corinthiarius (2).

III.

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam (3).

Quorum versuum neque sensus omnes neque verba singula variasve emendationes lubet expendere. Ea modo attendamus, quibus inductus, quamvis ἀνώνυμα sint carmina, Cassio tamen Parmensi fere omnia Weichert irrogaverit. Hoc unum quidem exposcit ut probabilibus rationibus demonstrasse videatur potuisse a Cassio ista poematia effingi (4). Nos vero in adversum connitemur, ut dubitatio ea de re quam maxima legentium animis oboriatur.

Primum poematium propter cœnam illam Octavianum exagitat, in qua convivas deorum ac dearum vultu habituque, quasi terrestri quodam Olympo, recumbere jusserat, Apollo ipse factus. Mensam δωδεκάθεον irrisit in epistolis Antonius (5).

(1) Sueton. *Aug.* LXX.

(2) Id. *ibid.*

(3) Id. *ibid.*

(4) Weichert, p. 276.—Non possumus non fateri quæ nobis admiratio fuerit, V. D. commentationem legentibus, quod tanta ubique modestia dissereret clarissimus criticorum, ut crebrius humanitatem ejus et doctrinam juxta suspiceremus. Jam inde in præfatione hæc ediderat : « In rebus tam antiquis et obscuris probabilia secutus sum, et si, quæ similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habebo. » P. IX. Cf. etiam quæ dixerit super scholiastis, in Commentat. de L. Vario, p. 6. Tam candide loqui jam didicerunt homines.

(5) Nomina etiam convivarum magna explosione enumeravit. Cf. Sueton. Credibile est non res tantum quæ convivium deformavere, sed numerum etiam com-

Qui sequitur versiculus proscriptionibus amarissime alludit, quum cives propter vasa corinthia nonnullos in tabulis notatos ab Octaviano cædique destinatos fuisse inter homines differretur. Ad statuam ejus, proscriptionis tempore, affixum est monostichon (1).

Tertium jam epigramma bello siciliensi vulgatum est, teste Suetonio, quod improspere gessit Octavianus, adversante magis ignavia quam fortuna, et manifesta etiam in vincendo animi deformitate; exprobavit Antonius (2).

E Cassii vita et fatis, qui Octaviano semper et fuerit et manserit infensus, eruit Weichert potuisse ipsum Parmensem cavillationes has exacuisse (3). Non tamen de tribus pariter contendit. Secundum abjicit ac repudiat. Quanquam enim omnia hæc quæ in trinis poematis attigit poeta, victoriam ad Actium navalem antecesserunt, atque ideo vivo tum etiam Cassio Parmensi poematia ista possint, quoad tempora computaris, legitimo jure attribui, non ille tamen Romæ jam ea ætate commorabatur quum in oppressam rem publicam triumvirorum sævitia incumberet, tabulæque proscriptorum nominibus refertæ ac funestatæ adspicerentur (4).

Hoc igitur versiculo eliminato, duo superant fragmenta, quæ judice Weichert, Parmensis moribus et vitæ mirum in modum congruunt. Quidni? Quum Octavianus cœnam illam famosam, cum ementitis deos ac deas convivis, insti-

missantium exagitavisse Romanos, quum non intra convivas tres neque citra novem Urbe sodales concederentur, ita ut a Gratiarum numero incipi cœnam sinerent, et ad Musarum usque numerum protendi condonarent, teste Varrone, apud A. Gell. *N. Attic.* xiii, 11.

(1) Sueton. *l. c.*

(2) Sueton. *Aug.* xvi : « Ne rectis quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem : verum supinum, cœlum intuentem, stupidum cubuisse; nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum fuisse, quam a M. Agrippa fugatæ sint hostium naves. » Antonianæ exprobationi haud immeritam summi inter nostrates viri dicacitatem adjungamus, qui Octavium solum fere fuisse ponit Romanorum imperatorum a quo, quamquam multa ediderit ignavia turpissima, militares animi non desciverint. (Montesq. *Grand. et Décad. des Romains*, xiii.)

(3) Weichert, p. 275-282.

(4) Weichert, p. 282-283.

tuit, Alexandriæ, si viro doctissimo fidem adjungas (1), Antonius degebat, ibique nuntium epularum, quæ passim destringebantur, scenicarum accepit, et litteris propter eas Apollinem novum egregie incessivit. Quæ fere in annum U. C. DCCXVIII incidunt. Atqui ex litterarum monumentis exhausimus id temporis Cassium etiam Parmensem Alexandriæ apud Antonium vixisse (2). Quum ab Ægypto Alexandriaque ad Cæsarem Octavianum epistolas immiserit M. Antonius, non omnino absurdum erit si existimetur et Cassius una, familiaris tum Antonii, pro natura sua studiisque suis in eumdem communemque inimicum disticha intorsisse. Romam cum ipsis fere Antonii epistolis, aut per occasionem aliquam devenisse versus credibile est (3). Carmen, ipso tenore, jam et amarulentum et odio incensum poetam significat.

Posterius autem epigramma Parmensi etiam tribui posse idem Weichert persuasissimum habet (4). In siciliensi bello Cassium nostrum Sexto Pompeio commilitonem fuisse accepimus (5). Tum Octaviano re navali exciso summam per ignaviam, ignaviamque per summam vel apud Mylas victori, versibus mordacissimis illusisse poetam quid verisimilius? Urbem Romam qualibet via (nondum enim perierat omnis Italiam inter et Siciliam communicandi ratio) devenere versiculi, et doctrina et ira odioque vere Cassiani (6).

Hæc fere Weichert. Quibus nunc obviam jam eundum est. Tota viri doctissimi ex eo disputatio conflatur quod omnia quæ istis epigrammatis tanguntur, Actiacam pugnam antecesserint, cum adhuc viveret Cassius noster Parmensis, quodque infensissima in Octavianum animi concitatione invectus fuerit. In utramque rem quam vana et aliena sit probaturi, pancissimis intendemus.

(1) Cf. Weichert, p. 276-277.
(2) Cf. Appian. Ἐμφυλ. v, 139; Weich. p. 247-248.
(3) Weichert, p. 277.
(4) Id. p. 282.
(5) Cf. Appian. *l. c.*
(6) Cf. Weich. *l. c.*

Verum enim vero egregio et optimo philologo non satis jam est si ante Actiacum bellum epigrammata sint illa in Octavianum intorta. Quin imo, prius carmen ante U. C. DCCXVIII, ex Augusti Weichert sententia, in mucronem ardescere non potuit (1). Quod non liquet. Cœnam δωδεκάθεον dubiam et controversam esse quo tempore inciderit atque Apollinari triumviro infamiam injecerit, ex ipsius Weichert confessione colligimus. Neque suæ adminiculum aliud opinioni substruit, præter quod Octavianum, ob timidum suspicacemque animum, ineunte triumviratu, cœnam talem excogitare non potuisse asseverat, ne famelicus populus seditione sæviret; facere autem potuit, quum devicto demum Sexto Pompeio, relegatoque Lepido, rebus jam majoribus, imperioque longiore subnixus exsurgeret (2). Hæc tantum, ni fallimur, ut poematium Antonii epistolis fuisse coetaneum evincat Aug. Weichert. Sed aliter evenisse crediderimus. Cœnam famosam, de qua Suetonius, instauravisse antea Octavianum causa nulla est cur negetur. Cautissimis etiam viris aliquando excidit et futuri divinatio et utilium rerum sagacitas; præsertim autem si ea quæ fecisse arguuntur et moribus quibus innotuere consentanea sunt, et ad libidines proclivioris ingenii facilitatem significant. Nolimus omnia huc afferre quæ apud Suetonium plurima occurrunt, et vel manibus paginas evolventium oculos præstringunt, auditu etiam et narratione fœdissima (3). A nullo amore temperavit, nullique comissationi pepercit, homo libidinosissimus Cæsar Octavianus. Potuit igitur, vel primis triumviratus annis, et conviviis, ut ceteris, indulgere; ac licet multa sibi adhuc, ad rerum fastigium grassanti, obstantia sentiret, non populum adeo, fame laborantem, respiciebat ut sodalitio suo vel epularum lautitiam, vel inter epulandum miram opulentiam scenicosque apparatus invideret. Incalescentis plebeculæ imperitam turbulentiam primorum

(1) Id. p. 276.

(2) Id. *ibid.*

(3) Sueton. *Aug.* LXVIII, LXIX, LXXI; Cf. Dion. Cass. LIV, 19.

pilorum adspectu ac vultu tum etiam composuisset. Multa perfecerat, quæ, nisi fecisset, facere forsitan nunquam ausum fuisse putaremus. Quis unquam populo senatuique romano acceptior fuit aut amicior Q. Tullio? Quis gratiosior? Quis et legum observantia et veterum disciplinarum institutorumque amore commendatior? Num timere aut suspicari potuit Octavianus populares motus, si talem virum qui rei publicæ et loquentia auxiliator maximus fuerat, et vita expressam imaginem effingebat, pessimorum hominum, sicariorum suorum, furoribus, aut Antoniani satellitii pugionibus concesserit? Fecit tamen, et plebs tunicata patresque omnium gentium mussitaverunt. Armorum sonitum universi exhorrescebant.

Nihil igitur obstat quin et in primis triumviratus annis cœnam δωδεκάθεον instituerit Octavianus. Si facere potuit, quid causæ est cur et Antonii epistolam et carmen ἀνώνυμον conjungas, versusque istos epigrammaticos ad Cassium auctorem deferas Alexandriæ commorantem? Jamdiu enim flagitiorum illorum memoria tunc erat obsoleta, et quæ in cœnam dici poterant versiculis, aut die illa ipsa qua agebatur aut sequente in fabulis esse debuerunt. Nec diffitetur Suetonius; quo teste, verba hæc vulgo postridie audiebantur: « Omne frumentum deos comedisse (1). » Nonnulli inclamitabant: « Cæsarem esse plane Apollinem, sed Tortorem (2). » Dicteriis dolorem publicum ac domesticum leniebant; sed patientia jam induruerant, nec jugum a cervicibus suis excutere conabantur. Animorum mœstitiam multam ac indignationem ex contumeliis in Octavianum intelligas. Inde etiam versiculi qui propemodum eosdem affectus iracundiamque omnium altissime compressam doctiore ac politiore genere dicendi tamen evulgabant. Natura enim ita comparatum est ut quæ sentiat hominum multitudo, vocibus ac verbis quandoque facetis erumpant, sed brevissi-

(1) Sueton. *Aug.* LXX.

(2) Id. *ibid.* Super Apolline *Tortore*, Cf. Bœttiger, in Wieland Mus. Attic. vol. I, p. 357, indigitante summo et doctissimo viro, C. B. Hase, in Biblioth. latin. Collect. Lemaire, Sueton. t. I, p. 281.

mis, dum e medio clarior et excultior vox insonat, quæ cæterorum cavillationes, sed purissimis castigatisque metris includit. Sic fere gemini audiuntur ejusdem rei ac sententiæ interpretes, tum popularis admodum et acuta, sed curtata increpatio, tum poetarum stylus vehemens ille et adstrictior et grandior. His animadversis, evertitur quidquid Augustus Weichert de commercio irarum ac conjunctione disseruit, qua consociati Cassius atque Antonius, epistolis hic, versibus ille, Octavianum, eodem ferme diplomate, impetiverint (1). Quæ simul amoveris, nihil superat causæ cur anno triumviratus quovis, prius quidem epigramma referendum deputes.

Sed quocumque modo se res habeat, sive inter triumviratus horrendas primitias, sive inter novos ac recentes tumultus versiculi sint conditi, non Cassio jure probabili attribuuntur. Annalibus enim constat ex quo Parmensis in Asiam, M. Bruto et C. Cassio ducibus, fugerat, anno U. C. DCCX, nunquam illum in Urbem semel relictam posthac rediisse. Maximo animo et apud Philippos et in Sexti Pompeii classe apud Siciliam, moxque in Antonii armis, Actiaca pugna, spiritum libertatis retinuit, donec eum Athenis delitescentem, jubente Octaviano, percussor Q. Attius Varus oppressit. Quæ cædes fere in annum U. C. DCCXXIV incidit (2). Per tredecim igitur annos, a Cassianorum fuga usque ad diem qua supplicio capitis affectus est Parmensis, tum consilio ac voluntate, tum lege Pedia (3), neutiquam Romam reversus est. Qua-

(1) Unde etiam colligit Weichert (p. 277) debere neminem mirum habere qui fieri potuerit ut sine auctore versus innotescerent. Potius crediderimus si hac via Romam devenissent, futurum fuisse ut Antonio versus ipsi cum indicata epistola irrogarentur, vel Cassium sibi præscriptum haberent, nec jam essent ἀδέσποτα carmina.

(2) Cf. Weichert, *l. c.*, p. 255-265.

(3) Lege Pedia, quam consul Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. » Vell. Paterc. II, 69.— Fuit tamen redeundi copia nonnulla, per a. U. C. 715 inducias, postquam vana et brevis cum Sext. Pompeio ad Misenum pax intercederet. Vid. Masson, in Vit. Horat. p. 88, sq. Tum illis qui proscripti fuerant reditus patuit (D. Cass. XLVIII, 36; Vell. Paterc. II, 67, Cf. Weichert, de L. Vario poet. Excursus I, p. 138.

propter, nonne pro miro habere possimus, si versiculos qui leguntur apud Suetonium, Cassio Parmensi adsignentur, quem nunquam Romæ fuisse certissimum est, quum cavillationes illæ quibus Octavianum vulnerabant homines, in præsentem triumvirum erumperent? Nonne multo magis probabile est in cœnam δωδεκάθεον, et in maritimas illas triumviri infelicissimas pugnas, alium quem carmina confecisse, qui Romæ moraretur, et flagitium vix auditum vituperatione poetica et extemporali premeret ac destringeret? Hoc etiam opinioni favet quod et popularibus, quæ tunc fuere, dicteriis et poetæ excogitato eadem illa subolescat sententia, qua plebecula et vates, unanimi consensu, quum Apollinis cultum atque habitum induisset Octavianus, hæc « Cæsarem esse plane Apollinem, sed Tortorem, » ille « Phœbi Cæsarem mendacia lusisse » dixerint. Concordes sane fuere, et, in rerum præsentia, ut mortalem ac terrestrem convivatorem impurissimorum hominum, inter publicam famem, exagitarent, eosdem admodum affectus, variata solum dicacitatis forma, comprehenderunt atque expresserunt.

Sed, ut propositum iter pergamus, ipsis Augusti Weichert verbis utamur, qui ex eo colligit versiculum secundum, a Suetonio memoratum, non esse Cassianum, qu d tum Romæ non foret Cassius Parmensis. Per nos licet; potuit tamen Urbem mitti, et nave oneraria deportari, et ad Octaviani statuam affigi, ut missum criticus voluit primum omnium epigramma. Non tamen hoc censuit optimus vir et doctissimus, et ab Urbe tunc abfuisse Cassium legitime contendit, ne vati cum injuria carmen attribuatur. Nuspiam vero Cassium versiculi fuisse auctorem æquius contendisset. Singularis enim, ut ipse odoratus est Weichert (1), inest similitudo quædam maledicendi, et carmini quod Suetonius perhibet ἀνωνυμεί, et epistolæ fragmento quod apud laudatum nuperrime Suetonium innotescit (2).

(1) Weichert, p. 283.
(2) Sueton. *Aug.* IV.

Hoc enim *mensarium* Cassius Parmensis, illo *argentarium* ignotus poeta Octaviani patrem appellant. Potuit reapse unum idemque convicium unius ejusdemque poetæ ingenio referendum esse videri. Sed nil tanti est. Aberat enim jam tum Cassius; atque id nobis modo placet, si ex ipsius nempe Weichert confessione eliciamus, Cassium, ab Roma jam absentem, neque primum neque postremum epigramma effinxisse potuisse. Novimus enim quam frigida sit præpostera cavillatio. Ut vere sint attici risus, necessario sint extemporales, remque explodendam presso quasi vestigio insequantur, exagitandisque inhæreant, delictaque ipso ortu hederis ambitiosiores (verbis liceat uti horatianis) enecent. Si longius intervallum interponatur, languet marcetque dicacitatis quasi flosculus. Atqui, si tertium primumque Cassio Parmensi tribuas epigrammata, qui tum apud Siciliam, tum etiam Alexandriæ consilio studioque recuperandæ libertatis ardebat, quid inde jam aperiatur intelligas. Fatearis oportet ante omnia in Siciliensi bello, quamvis tum multa humanæ vitæ commercio interjicerentur, ex Sicilia Cassianos versus Romam esse missos, qui post evagatum Octaviani cladium nuntium, sero demum ac furtim introducti, tacentibus jam ceteris risoribus, devictum triumvirum salibus novis et insperatis adspergerent. Quid mirabilius? At si M. Antonium animum advertas, ejusque epistolis tertium Cassii Parmensis, ut reris, epigramma conjungas, Romam ex Alexandria demittendum, cavesis quo res excurrat. Ad Alexandriam, longo post tempore, nuntius pervenit cœnam illam δωδεκάθεον ab Octaviano fuisse institutam. Romæ riserant jam plebeii primoresque civitatis, et ad res novas, neque enim tum diu quiescebatur, sese erigebant. Jam Apollinem esse Cæsarem, sed Tortorem, et omne frumentum deos comedisse, vociferati erant, et propriis dicteriis pacati, tristiora perpetiebantur. At non silebat Cassius. Ille Octavianum, si creditur, deridere prægestiens, cavillationumque suarum tenacissimus, navigio sex versiculos committit, super re vetustissima et exsoleta, et trajectione

longissima vix confecta, Quirites jam oblitos desuetosque maturis nimis, hercle, et veterascentibus barbatisque carminibus ad ridendum convocat! Quid incredibilius?

Perpendite, quæsumus, quas in angustias, dum Cassii gloriæ sedulus adlaborat, ipsum Cassium germanicæ critices haud ignobilis nec indecorus propagator devocaverit. Eo jam liberrimum ingenium indefessumque, inter tot domesticos tumultus, adducitur, ut nihil aliud agat præter studia illa epigrammatica quibus Urbem assidue conniventem commoveat. Sæpius fusus fugatusque in re maritima Octavianus est; extemplo irruit a Sicilia impigri cachinnatoris Cassii epigramma distichon. Cœnavit Octavianus; ex Alexandria Romam alterum jam navigat epigramma, eodem auctore Cassio Parmensi. Unum hoc scilicet officium sibi ac munus proposuit, dum inter arma, aut saltem inter homines armatos versaretur, veterum disciplinarum hostem atque oppressorem Octavianum amarulentia verborum irritare ac vulnerare! Hoc Cæsaris percussor, M. Bruti et C. Cassii, Cæsaris percussorum, apud Philippos commilito, Sexti Pompeii egregius auxiliator, mox Antonii socius et adstipulator, hoc voluit, hoc sensit maximum sibi esse facinus et posteritati commendatissimum, si urbem Romam facetiarum cavillationumque proventu fortunaret! Meliora, si fallimur, et altiora, tristitiis tantis, Cassius Parmensis et voluntate efficiebat et consilio meditabatur.

Novimus et quo fuerit in Octavianum animo, et vix dubitari potest quin tota ingenii intentione in eum sese inverterit. Sed non unus omnium ille intestabili odio in Cæsaris adoptivum nepotem deflagrabat. Plurimi et Romæ erant et in toto terrarum orbe quos et acerrimos in præliando hostes habebat Octavianus, et mox in ipsa victoria, postquam omnia pacavisset, infensissimos eosdem, quanquam defuncta et prostrata re publica, experiebatur. Quum diuturno jam rerum regimine subnixus, dicteria in principem sese aut tolerare maluerit, aut postea decretis compescenda esse censuerit, creditis, in exordio impe-

randi, aut pauciores fuisse qui irriderent, aut mitiores in incriminando, urbe hac Roma cujus mœnia et viæ et rostra miserabilem in modum aut proscriptorum sanguine inundarent aut eorum qui superstites erant, lamentis ac gemitu resonarent? Imo etiam in miris foret, si non plures fuissent inter tot civium funera et strages, qui eam, qua mox Timagenes, et Porcius Latro, et Silo Albutius inclaruere, audentiam occupassent. Plurimi et odisse et incessere Octavianum, sanctum fraternumque arbitrari debuerunt; hæc naturæ vis, hæc pietas, hæc germanitas fuit. Nullam illi, quum et præsentes forent, et suorum internecionem dolerent, nullam, quum dabatur, aut invidiæ aut irrisionis occasionem prætervehi sinerent, qua suos alienosque, dummodo interemptos, ulciscerentur. Pro uno, cui faves, si ex ira et infensione rem dijudicas, pro absente et exsulante Cassio, sexcentos Cassios habes, et præsentes, et arrectis paratisque animis, stricto jam aculeo. Cœnet cum diis deabusque famosus triumvir; Sexti Pompeii classiariis tergum obvertat; et ridebunt homines, et versiculis ignavo duci notam inurent, nec exspectabunt dum navicula aut e Sicilia aut ab Alexandriæ portu Cassiana carmina ostium advehantur.

Juvat opinionem ipsa epigrammatum felix et curiosa brevitas. Sic inopinati adsunt hostemque incurrunt ac perfodiunt in litteris quasi velitæ. Hæc mane novo plebecula cum risu excipit et evulgat; hæc ad statuam Octaviani affixa legere possunt omnes et memoria retinere et obviis recitare; hæc, subito afflatu quodam atque instinctu dicacitatis, extemporales cachinnos movent, nec ultione omissa. Non idcirco versiculos credamus esse, ut Nasonis verba usurpemus, prolem sine matre creatam. Fecit aliquis versiculos; sed impræsentiarum; sed ita ut omnes facere potuissent; nec immerito hæc sine nomine auctoris ad nos usque carmina devenere; unus scripsit, unus stylum obtinuit; omnes et sensere et voluere; unus prave diffamabat; in obtrectationem conjurabant universi. Aut fateatur, aut dicat V. D. et Cl., quis auctor fuerit etiam versiculorum

quæ C. Cæsaris legionarii duci suo, summa intemperantia, vel inter triumphales apparatus, concinebant (1). Communis hæc et conjuncta vox erat militarium animorum; unus tamen dictitaverat, sed universi assentiebant, sed versus libidinosi neminem sibi præscripserunt; publica res erat, non privata.

Nec tantilla sit, judicibus nobis, Cassii laus et fama, ut illum credamus, si quid propria vena aut e classe Pompeiana aut ex Alexandria misisset urbem, vel distichon vel senos versiculos tantum fuisse excogitaturum. Non unum alterumve minutissimum carmen animos tantos irarumque civilium studia exsolvissent. Majora, si quid integri et recti mens divinat, molitus esset ille indefessus et libertatis vindex et triumviri exagitator. Fecisset idem quod Antonius, qui, quum Octaviani arma et partes scribendo etiam evertere conaretur, epistolas scripsit et amarulentas et non perpaucas, hostisque sui et ignaviam et infamiam asperrimis verbis impugnavit (2). Hæc inter domesticos et intestinos furores, bellorum et partium ducem produnt ac manifestant, et odia intestabilia significant adversariorum et concurrentium virorum. Simillimum, ni specie vana decipimur, tentavisset Cassius Parmensis, inter Octaviani hostes et ingenio et ira notissimus. Non duobus in Siciliensi bello, non senis postea versiculis navigium onerasset.

Quocumque demum se res habeat, et in quamcumque partem sententiarum fiat inclinatio, non est tamen cur mirum non videatur hujuscemodi acutulum propositum, quo disputationem universam recolligas : Jam a decimo et tertio anno ex Urbe abierat, exulabat Cassius Parmensis. Quo temporum spatio epigrammata duo in Octavianum Romæ demorantem confecta sunt; memorat ἀνωνυμεί Suetonius; ergo ad Cassium Parmensem exterminatum referri debent auctorem.

(1) Cf. Sueton. *Cæs.* XLIX ; Dion Cassius, XLIII, 20.

(2) Sueton. *Aug.* VII, XVI.

CAPUT V.

CASSIUS ELEGIACUS.

Elegis etiam laudabilem fuisse Cassium nostrum ex Acronis et scholiastæ Cruquiani modo indicatis testimoniis compertum est. Cumque istis Horatius facit, qui versu notissimo Albium interrogat super iis quæ faciat amicus in Pedana regione? An scribat

...... quod Cassi Parmensis opuscula vincat (1)?

Quæ summus litteratorum hominum æstimator non percontaretur, non poetarum sic nomina conferret, nisi quædam inter eos exstitisset hujus in scribendo generis comparatio.

Nec illos respiciamus qui Cassium a Flacco derideri exputavere (2). Quo enim fieret pacto ut Horatius, venustate summus, et humanitate, qua erat, eximius, et amicitia in sodales candidissimus, Tibullo suum otium in villa Pedana quasi exprobare sustinuisset, qua nihil aliud facere dicatur ille nisi carmina quæ Cassium Parmensem, poetarum choro vix adscribendum, devincerent (3)? Præsertim quum id temporis amore infelici ægrotus et fractus et aviti prædii vix parte servata, Tibullus post sævissimas agrorum divisiones, immanissimamque Italorum proscriptionem, paupere jam fundo, inter Lares tecti humilioris cus-

(1) Horat. I, *Epist.* IV, 3.

(2) Acron, in Hor. I, Satyr. X, 62; Tum VV. DD. Spohn et Jahn, quos egregie Aug. Weichert, p. 232-243, confutavit.

(3) Weichert, p. 241.

todes, delitescebat (1). Nec suo amico tristi atque ex divitiis mundum victum et crumenam modo non deficientem retinenti, Horatius alia poterat præter suavissima et luctum temperatura, castigatis et purissimis versibus prætendere. Qua et leniendi et delectandi ratione tota illa nobilitatur ad Albium epistola. Ergo, ne nimis rem urgeamus, aut optima meditantem aut excellentium ingeniorum carmina æmulantem, Tibullum quid faciat regione Pedana Horatius interrogat amicus amicum, nec alium in his verbis latere sensum deprehendimus. Horatium igitur habemus, non tantum minutulos scholiastas, Cassii Parmensis laudatorem nobilissimum. Quo majus etiam nunc fit elegiarum illarum, quas conscripserat Cassius, desiderium. Nec vim doloris tolerare potuit vir doctissimus, gymnasii Aquisgranensis collega, *OEbeke*, et, ne totus perierit vates, probare studuit tertium elegiarum, quæ Tibullo adscribuntur, librum, non ad Tibullum, sed ad Cassium ipsum Parmensem referri debere auctorem (2).

Re quidem vera, non Tibullo librum illum elegiarum tertium sinit adsignari legitima rerum æstimatio, neque si de se ipso cantavisse, mutuato nomine, poetam, neque si alienos Lygdami amores prodidisse eum certaveris. Tum res ipsæ et facta quæ complectitur libellus, tum notissima Tibullianæ poeseos et forma et inventione in errorem delabaris vetant (3).

(1) Cf. Tibull. « Felicis quondam, nunc pauperis agri Custodes, fertis munera vestra Lares. » I, Eleg. I, 19-22. Plerique infelicissimæ hujus ætatis poetæ, eamdem de suis infortuniis querelam concinunt. Auctor Panegyrici ad Messalam, qui non Tibullus est, v. 182-190. Item Propertius, de se hæc effatus, IV, Eleg. I, 28 :

.....in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multis versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

Cf. etiam Valer. Catonem in *Diris*. De Tibulli temporibus cf. imprimis quæ Lud. Dissen, t. I, p. XIV, XV.

(2) Œbeke, in Gymnas. Aquisgran. Programm. a. 1832; ex Ludolphi Dissen. disquisit. V. D. Weichert famam rerum accepit (Cf. p. 375), non opusculum ipse potuit perspicere.

(3) Cf. J. H. Voss, *Heidelberg*, 1811 : Albius Tibullus et Lygdamus,

Sed non inde prorsus necessarium habeatur ut Cassio Parmensi has elegias imputes. Obstant commento plurima. Quæ nunc enarrare nos juvaret, nisi rem confecisset ne jam in integro foret clarissimus et gravississimus commentator Ludolph Dissen, quo melius et doctius de hoc argumento meritum fere neminem cognovimus (1).

codicum ope emendati, apud *Mohr* et *Zimmer*. Cf. etiam alteram eodem anno vulgatam et auctiorem editionem. Virum inter Germanos doctissimum et jure nobilitatum poetam, vividius et doctius quam sanius aggreditur insignis e nostratibus Phil. de Golbery (*De Tibull. Vit. et Carminibus,* 1826, in Collect. Lemaire), cui fulcrum etiam supposuit præclarus et ingenii leporibus V. Cl. Naudet (Biograph. univ. t. XLVI, p. 25, sqq.) eodem anno 1826; nec perfecit ut Lud. Dissen (1835) silere coegerit.

(1) Cf. L. Dissen, in Tibull. t. I, p. 29-32.

CAPUT VI.

ÇASSIUS TRAGICUS.

Nonnulla superant veterum monumenta quibus tragicum fuisse Cassium Parmensem manifesto apparet. Prima acie Horatii stant varii interpretes. Apud Acronem legitur : « Multi crediderunt Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragœdias (1). » Quæ verbis prorsus iisdem repetit Porphyrion : « Multi crediderunt Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragœdias Cassius (2). » Nec non et Cruquii scholiastes, Acronis vel Porphyrione fidelior simia : « Multi crediderunt Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragœdias (3). » Merito igitur vatem celeberrimum tragicis, cum plurimis tragicorum fragmentorum collectoribus, adscribimus.

§ I. Cassiana Thyestes.

Quod quum elucescat, in illarum numerum, quas docuerit Cassius, fabularum, *Thyestem* referendam jam fere putaveris Iidem. super ea re nobis admodum sunt testes atque auctores ; sed non assensere universi. Duplex autem inde nobis pateret de Thyeste quæstio : 1° Num vere Cassio tribuenda sit, an Vario, an potius utrique sua, et quænam fuerint apud antiquos tragœdiæ hujus haud

(1) In Horat. I, Epist. IV, 3.

(2) Porphyr. ibid. ; et in I, *Satyr.* x, 61. Cassii fabulam Thyestem sua tempestate exstitisse confitetur.

(3) Cruq. scholiast. *ibid.* p. 527.

ignobilis vicissitudines; 2° Num Cassiana Thyestes, dummodo Cassio imputetur, Parmensi aut Severo debeat irrogari.

Sed utramque disputationis partem quasi privatam provinciam sibi demandavit Aug. Weichert (1), neque hoc nos fateri non possumus, quum tantam ille in hos rerum litterariarum sinus reconditos lucem offuderit, homines in die illustri tenebricare sibi habere persuasissimum, qui Cassio Parmensi Thyestem suam denegent.

Innectunt tamen adversarii laqueos, et ne Thyestem Parmensi concedant, Cassium Severum ex Apuleio grammatico tragicum, disputandi causa, inducunt. In Apuleii enim libello *De orthographia*, § 28, legitur : « Cassius Severus in IV tragœdia (2). » Quibus verbis quandoquidem jure Cassius Severus indicaretur, non tamen ex illis appareret Cassio Parmensi non esse Thyestem suam. Potuit, si collubet, quanquam tacet super ea re omnis antiquitas, finxisse quampiam tragœdiam Severus, nescio quo stemmate, nec idcirco laudem Parmensis, ex tragœdiis celebratissimam, totam unus arripere. Si vero rem curiosius attendas, non poteris non fateri Cassium etiam Parmensem sub Apuleii verbis subolescere. Quas partes V. D. *Angelo Mai* defendit, in *l.* Apuleii *c.* (3). Veteres quippe omnes oratorem Severum nuncupant, non tragicum; maledicum fortasse poetam et iambographum, non magna et sophoclea intonantem. Quod si igitur ætatem Apuleii consideres, a Parmensis ac Severi ætate remotiorem, vix negare queas quot nominum erroribus loci dabantur. Tot elapsis post Octavianum seculis, plurimos jam Cassios confundere minus cauti et perturbare potuerunt, et præ-

(1) Weichert, de Luc. Vario poet. p. 75-85.

(2) Ed. Frid. Osann, *Darmstadt*, 1826, p. 9.

(3) Scriptor. veter. nova collect. Romæ, 1827 et 1831, p. 79, in calce. Sed in ea re laborat Italorum doctissimus, quod Cassium Parmensem etiam *Severi* beaverit nomine. Quin etiam secutus est Maium in commentariis Frid. Osann, p. 62. Diversum tamen fuisse vidit a Cassio illo Severo, Augusti et Tiberii ætate eloquentiam factitante (p. 63).

cipua fuit causa viro satis litterato Apuleio, et in poetis, ut nimis apparet (1), occupatissimo, cur Severi ac Parmensis nomina perverteret. Hauserut enim ex Ovidio :

> Quique dedit Latio carmen regale Severus (2).

Poterat hic versus tragœdiæ vel ipsi Thyestæ alludere videri ; inde Cassius ille Severus apud Apuleium ; sed Ovidio nemo alius in mente fuit præter *Cornelium* Severum, scriptorem jam, apud ipsum Apuleium, Belli Siculi (3). Inde igitur in errorem prolapsus videtur grammaticus, et de ipso Cassio Parmensi locus est intelligendus. Sed denuo eadem verba in disceptationem vocabuntur. Modo constet non posse Apuleii auctoritatem adversus Cassii Parmensis Thyestem vindicari. Ceteroquin e notissima apud veteres fabula reliquiæ nullæ.

§ II. Cassiana Brutus.

Scripserit autem Brutum etiam tragœdiam, lis est inter doctissimos. Memoravit locum, si velis, Cassii poetæ M. Varro : « Inter vesperuginem et jubar dicta nox intempesta, ut in Bruto Cassii, quod dicebat Lucretia,

> Nocte intempesta nostram devenit domum. »

Stichus, quem Varronis liber servavit, verba sine dubio Lucretiæ continet, coram parentibus de Sextii Tarquinii stupro conquerentis. Brutus vero Cassio nostro referri debeat annon quærentibus, idem egregius in criticis, et posuisse fabulam, et, ante annum U. C. DCCVIII, cum Varrone communicavisse Parmensem, ex publica M. Varronis et Cassii vita, Aug. Weichert, conjectura quam maxime

(1) Cf. Madvig. Opusc. academica, *Hauniæ*, 1829, p. 12, sqq.
(2) Ovid. IV, *ex Ponto*, XVI, 9.
(3) Apul. *De orthogr.* § 30, ed. Osann, p. 9.

probabili affirmavit (1). Neque in his, quæ jam constituta sunt, iterandis chartam deperdere judices nobis condonarent.

Fuerint igitur Cassii Parmensis et Brutus et Thyestes. Bruti extat prædicta particula.

§ III. Cassiana, si creditur, Io.

Nunc redeamus ad Apuleii libellum et prius jam notata verba. Si lapsus quidem in nominibus est grammaticus et Parmensem pro Severo scribere debuit, hoc tantum inde erui, nobis arbitris, potest, quatuor, ut minimo numero insistamus, tragœdias Cassium confecisse. Neque litteris istis fabulæ nomen subesse somniemus, neque suam eximio inter Germanos philologo conjecturam permittamus, qui numerum ıv, inachide IOE commutavit (2). Quod miramur et excogitari potuisse, et Augusto Weichert peracutum visum esse ac perplacuisse (3).

Tres in ea re tractanda nobis præcipuam videntur habere laudis partem philologi notissimi, Augustus Weichert, Fridericus Osann et Madvig in opusculis academicis. Non tamen ea judicandi firmitate videntur nobis valuisse, ut non et scrupulum addere virorum disputationi posse quempiam existimemus.

Weichert numerus iste, «ıv tragœdia,» quid sibi velit non introspicit (4), et ingenio viri doctissimi Madvig, nimium obtemperavit qui *inauditum tragœdiæ citandæ modum* increpat (5). Friderici etiam Osann auxilium deposcit, qui, quum in Madvig prolusionem sese inferret (6) et pro domo sua depugnaret, nomen quidem Ius τῆς οἰστροπλῆγος

(1) Cf. Weichert, 271-273.

(2) Fr. Osann, in Jahrbücher Philologie und Pædagogik, von Joh. Christ. Jahn, dreizennter Band, Leipzig, 1830, p. 324.

(3) Weichert, p. 273; qui non hic tamen latere Cassii Parmensis credidit fabulam; Cf. id. p. 215, § 5.

(4) De Cass. Parm. p. 273.

(5) Madvig, Opusc. acad. *Hauniæ*, 1834, p. 17.

(6) Cf. Jahn Jahrbücher, *l.c.*

protulit Hauniensi critico, ut *inauditum tragœdiæ citandæ modum* quasi medicina et fomentis curaret. Hanc ansam arripuit Weichert. Non id tamen in Madvig sententiam paraverat V. Cl. Osann. In sua ipsius enim et Apuleii sui apologia hæc prælegebantur (liceat vernacula lingua loquentem inducere) : « Warum konnte Apuleius die Tragœdien des Severus, wie er sie in seinem Exemplare hinter einander geordnet fand, nich auch in dieser Ordnung an führen (1)? » Non igitur Iûs fabulam proponit Frid. Osann, sed furtim indicat, ne cum Madvig in loco impervio hærere videatur. Stabat pro geminis Apuleii verbis, et quamvis rarissimam, non obscuram tamen citandi operis rationem tuebatur. Quæ quum ita sint, ne minimam quidem levissimæ conjecturæ, ardentius et incautius ab Aug. Weichert propagatæ, fidem adjungamus. Quam præ se tulit Madvig dubitationem, ea proposito dissertationis, quam ordinavit, litterariæ mire congruebat. Quippe quum in animo haberet ut Cæcilii Minutiani Apuleii de orthographia libellum exscinderet, et furtum, si velis, doctissimum, seculo decimo et quarto adsignaret, hoc sibi præsertim demonstrandum esse reputavit, ut citatorum scriptorum atque operum, in spurio monumento, auctoritatem labefactaret. Et eximie, ut censemus equidem, inter agendum, ingenii quæ esset subtilitas manifestavit; sed non eo usque persuasit omnium animos, ut, ex Ovidii carminibus ponticis quum multa protulerit Apuleius auctorum nomina, grammaticum ista omnia citavisse libris non bene perspectis aut etiam titulis arbitrio suo effictis et commentitiis, comprobaverit. Sunt certi denique dubitationi fines; et si erravit in multis Apuleius, aut in multis forsan mentitus est, potuit etiam e prioribus commentariolis plura expressisse; potuit ex Velio Longo, e Curtio Valeriano, e Papiriano ac ceteris quos numerat et advocat plurimos Cassiodorus (2), doc-

(1) Id. Ibid. p. 324.

(2) De orthograph. ed. Putsch, p. 2281.

trinam ipsam et exemplorum nomina et opera indicata exhausisse. Fecerit quæ fecit ἀδέσποτον *de generibus nominum* Glossarium.

Nulla est causa cur non ille incertus et nuperrime reperti libri auctor e Capri vel e Probi laciniis partem operis haud mediocrem confecerit (1). Condonetur hæc mediæ ætatis hominibus venia, eorum qui anteierint grammaticorum ac rhetorum libellos, in scholis modo summa constantia repræsentavisse, modo coarctavisse, modo nimium auxisse ac ditavisse. Non semper tamen aut ignorantiæ aut mendacii arguantur; neque illorum testimonio fiduciam omnino abneges. Quamaobrem si quartam Apuleius Cassii tragœdiam indigitat, non idcirco citationis auctoritatem respuas ac numeri loco dramaticæ personæ nomen ultro effingas. Fuerint Cassii quatuor, ne quid nimis, tragœdiæ. Non Io statim nova et inexspectata exoriatur in pulpitis.

§ IV. Cassianum fragmentum, incertæ sedis, aut, si fas est, nullius.

Legere est in vulgatis Varronis editionibus (bipontina, p. 85): « Quasi Hellespontum et claustra. » Conjecere alii alia, pro voce *quasi*, vel *Cassius* (2), vel *C. Attius* (3); qui priscorum tenacissimi, auctoris tamen latere hic nomen censuerunt (4). Otfried Mueller (5) et nuperrime Aug. Weichert (6), audaciores, sic locum informant:

« Cassii :

Hellespontum et claustra.

(1) Conf. recentissimam et absolutissimam. V. Cl. et D. J.- Vict. Leclerc, commentationem, in Appendic. Catal. gener. biblioth. public. t. I, præf. Glossarii *de generibus nominum*.

(2) Scioppii lectio est.

(3) Sic F. Ursinus. Quod accipi nullo modo potest, quum Attio *Lucius* fuerit prænomen.

(4) Spengel, in Varron. VII, p. 307.

(5) In Varron. VII, § 21, p. 127.

(6) Aug. Weichert, de Cass. Parm. p. 271.

Claustra, quod Xerxes quondam eum locum clausit; nam, ut Ennius ait :

Isque Hellesponto pontem contendit in alto. »

Nec dissimilia typothetis mandavit Pariensis editor, a, 1836, vir omnifarii generis doctrina instructus (p. 90). Quæ si recipias, novum jam adesset Cassianæ tragœdiæ fragmentum. Et hoc lucro apponere vellemus. Sed prohibent ne assentiamur nonnulla. Totus hic locus mutilus est (1); manu scriptis in libris omnibus, *quasi* legentium oculis occurrit; et Mueller ipse vocem *Cassii* meram esse conjecturam denuntiat (2). Nec bene capimus cur, in phrasi deminuta, verbo *quasi* remedium paretur. Plurima sunt et vicina capita (XXIII, XXV, XXVI, etc.) in quibus loca auctorum reperias, nec præfixo tamen proprio scriptoris nomine.

Cum citetur inter sequentia verba nomen Ennii, his ipsis evincere, salva tamen manu scriptorum librorum reverentia, tendebat Spengel in voce *quasi* latere incertum versiculi auctorem. Esto. Sed, modo hariolari detur, Ennium in ipso incœpto collocemus. Quidni? Ennianum fragmentum Enniano fragmento componit summus grammaticus Terentius, et priora posterioribus commendat. Non est novi scriptoris citandi peropportunus et quasi necessarius locus. Et fuere qui truncatum hemistichium inter Enniana, quæ circumferuntur, carmina retulerint (Annal. VII, 42, p. 93, E. S.), renuente tamen Mueller (in Varron. VII, 21), cum Ennii Neapolitana (Columna, 1590) et Batava editionibus (Hessel, *Amsterdam*, 1707).

Judicio nos pendemus, et quum ea Terentii sit clades

(1) Post servatam versus particulam, vocem *claustra* iteravit Mueller, Scaligerum in hoc secutus, et Varronis morem qui verba auctorum verbo illo excipere solitus sit quod interpretari curat. Divinat Scaliger, nec adeo consuetudinis suæ tenax est Terentius ut nunquam, quæ maluerit, jam relinquat instituta; nunc repetit enucleanda verba, nunc omittit.

(2) P. 127, § 21.

ut corruptissima nunc appareat de qua disputatur operis portiuncula, neque Ennii neque Cassii, nedum Parmensis, decurtato versiculo gaudebimus. Stemus in codicibus, τῷ μεγίστῳ αἰῶνι, violatis, immane quantum! tutiore et saniore (bona pace dixerimus) consilio, dum ventura ætas meliora undelibet effodiat.

PARS POSTERIOR.

DE PEDESTRI APUD CASSIUM SERMONE.

Et epigrammata et elegias et tragœdias scripsisse Cassium Parmensem fere omnes veterum qui de clarissimi poetæ vita et operibus nonnihil tradidere, confitentur. Sed nemo est qui pedestris sermonis eum laudem meruisse dixerit. Nec tamen desunt epistolarum fragmenta Cassianarum apud antiquos. Nec abfuere apud recentiores homines qui vel historia conscribenda inclaruisse Parmensem crediderint. Quamvis igitur præcipua ejus ex poeticis rebus gloriam conflatam esse videatur, non de ceteris etiam, quibus innotuerit, omnino mussitandum est.

CAPUT I.

SCRIPSIT CASSIUS EPISTOLAS.

Tres epistolæ Cassio tribuuntur; quarum una quidem deperdita; altera, si fragmentum excipias, pari fato evatertia autem tota superat. An vere Cassii sint Parmensis indagandum et patefaciendum esse arbitramur.

§ I. Epistola Cassii Parmensis ad M. Antonium.

Ex Plinio hæc accipimus : « Cydnus Ciliciæ amnis podagricis medetur, sicut apparet in epistola Cassii Parmensis ad M. Antonium (1). » Scripsit ergo hanc epistolam Cassius noster, nec ulla causa est cur doctissimo et sagacissimo testi P. Plinio fides abrogetur. Sed quum perierit epistola de qua nunc agitur, nihil jam nobis reliquum est quod disseramus præter temporis admonitionem quo scripta sit.

Si litteras eas misit Cassius, dum in tribunatu militari ageret, quæ esse videtur Aug. Weichert sententia (2), anno referantur DCCXII. Nec tamen probabile est. Id enim temporis, dummodo Appianum audiamus (3), quum L. Cassius et M. Brutus egregie pro libertate præliando, pugna philippensi, cecidissent, ipse Parmensis, tribunus

(1) Plin. *Nat. Hist.* XXXI. 2. p. 8. Quam epistolam quo indigitavit loco Biblioth. latinæ olim editor, Le Maire, *Poet. l. min.* T, 1. p. 618, in notula Cassium Parmensem et Cassium Severum quidem discriminat, sed Parmensem et Etruscum dispares in unum confudit, quum hoc volumen evulgaret (a. Chr. 1824), male præscius eorum quæ mox in Horatii tomo II, p. 111 (1831) excudi jure pateretur.

(2) Cf. Weichert, de Cass. Parm. poet. p. 283.

(3) Appian. Ἐμφυλ. V, 2.

militum et classi præfectus, multa mari terraque fortiter gessit, et nihil non egit quo triumviros everteret. Non per tales et suas et amicorum angustias, quum vix Bruti et Cassii disjectos asseclas contraheret, ut rei publicæ tribus eversoribus obluctaretur, non tunc sane Antonio epistolam scribere potuit, qua talia commemoraret. Quum vero abiisset jam et transvectum esset tempus quo res publica alio quam Sexto Pompeio duce servari posse videbatur, Siciliam devectus, acriter in Octavianum Cæsarem bellum gessit Cassius Parmensis; nec tum cum Antonio litteras communicabat. Devicto autem Pompeio et oppresso, defecit ad Antonium, anno U. C. DCCXIX, invitus et meliora ausurus. Si rem igitur integro animo dijudicamus, non ante annum hunc U. C. quem modo prædiximus, epistola Cassii, a Plinio memorata, scribi potuit, neque post annum DCCXXIII qui res Antonii Cassiique fortunas evertit. Neque causam accuratius pertrectare cupientibus nobis succurrit explanandi ratio, qua certiores ad exitus finitumque magis terminum deducamur.

Vossio ergo commilitone utamur qui fatebatur nescire se qua occasione has litteras Antonio miserit Parmensis (1).

§ II. Epistola Cassii Parmensis ad Cæsarem Octavianum.

In vita Augusti, IV, legimus apud Suetonium, epistolæ particulam quam Cassius Parmensis ad Cæsarem Octavianum perscripserat : « Materna tibi farina est ex crudissimo Ariciæ pistrino : hanc pinsit (2) manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.» Quæ ferme iis similia sunt quæ ad statuam Octaviani adscripta fuisse, cum tabulæ figerentur. Testis est idem Suetonius (3). Sed epigramma, quod indicavimus, paterni tantum generis

(1) Opp. IV, de Hist. lat. Append. p. 260.

(2) Vocem *pinsit* neque codices habent neque Casaub. (Sueton. t. III, p. 237); sed *finxit*; prius vocabulum egregie confirmat ac tuetur Weichert, p. 287-289.

(3) Sueton. *Aug.* LXX.

ignobilitatem Octaviano exprobravit, quum avum ejus argentarium fuisse in convicium verterit; epistolæ fragmentum, et paternam et maternam una originem ludificatur, quum hinc filiam proavi pistoris, illinc avum significaverit numularium. Neque absona colligas in Suetonio, ex litteris quas ipse ad Octavianum M. Antonius dictitavit (1). Octaviani enim proavum maternum afri generis fuisse asseverat, et posthac Ariciæ advenam pistrino incubuisse (2); avum etiam Octaviani Antonius argentarium, restionis filium, irridet. Hunc restionem thurino ex pago fuisse monet (3). Unde sæpius inimicum sibi triumvirum, in edictis et in epistolis, per contumeliam, Thurinum appellavit, teste iterum Suetonio (4). Ita, si maledicis fides adjungatur, pater Octavius ex pistoris aricini filia natus est, quam noster *farinam* appellat, et ex patre vilissimo feneratore, in Ariciæ viciniis, Nerulone oppidulo (5).

Quod si de tempore nunc anquiramus, quo scripta illa Cassii Parmensis epistola fuerit, mirum est quanta dubitatione pendeamus. Cogitari potest, si Augustum Weichert audiamus (6), aut tempus illud quo primum, post occisum Cæsarem et pugnam Mutinensem, ad honores sese erigeret Octavianus, consulatumque appeteret; aut annos extremos illos reputes quibus Alexandriæ, in M. Antonii prope sodalitio vixit Cassius Parmensis.

Priore quidem tempore, quum in Asia acceperit

(1) Sueton. *Aug.* IV, VII.
(2) Sueton. *Aug.* IV.
(3) Sueton. *Aug.* II.
(4) Id. *ibid.* II, VII.
(5) Cf. Tit. Liv. IX, 20. — Tempus est animum advertendi quanta arte, dum plurimi Cæsarem Octavianum impeterent, conviciisque onerarent, originem objurgando, Virgilius contra, verbis purissimis et electissimis natalitia expurgaverit et erexerit :

> Alter Atys, genus unde Atii duxere latini,
> Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo (*Æn.* V, 568-569).

Atiam gentem vetustate nobilitat et ad Trojanos subvehit, ne Cæsaris patroni sui dilectissimi matrem Atiam ex pistoribus et numulariis ignobilem et obscuram progeniem fuisse condonet. Cf. Weichert, De L. Vario poet. p. 10, in notula.
(6) Weichert, de Cass. Parm. p. 284.

Cassius Parmensis dignitati summæ jam imminere Cæsaris hæredem, potuit scribere epistolam ad Octavianum. Novimus enim quot opprobriis ineuntem jam res publicas et subsidentem Antonius etiam ipse consul cumulaverit (1). Hic æmulum repentinum et inexspectatum, ille Cæsarem alterum, novum et nutantem adhuc, conviciis urgere et proscindere potuerunt. Nec id temporis voluntate et consilio conjurabant ac conspirabant Cassius et Antonius. Cogitatio utrique insidebat dissimillima, dum proprias et privatas fortunas alter, alter publicam Urbis dignationem persequeretur. Utrique tamen obvius et invisus erat Octavianus.

Nec idcirco ista inhæret in sententia Aug. Weichert, et scriptam esse Alexandriæ atque ad Octavianum Romæ demorantem missam epistolam satius existimat (2). Per nos licet; quum enim, profligato Sexto Pompeio, ad fastigia grassaretur Octavianus, graviores ipsum inter et Antonium exarsere simultates, et odia, et contumeliæ. Auctores sunt et Suetonius (3) et Cremutius Cordus apud Tacitum (4). Defecerat jam tum ad Antonium Cassius Parmensis, anno U. C. DCCXIX; et eisdem ex partibus eodemque vexillo, quasi voluntarius miles, dum silerent adhuc arma, in amarulentas irrisiones, egregia scriptione, per epistolam erumpebat (5).

Concessit, ut manifestum est, quo deerremus et vagemur, latifundia Weichert. Ab ipsa pæne Octaviani adolescentia vix e ludo atque pueritiæ disciplina emergentis, usque ad Actiacam prope tubam, locum Cassianæ epistolæ, commodus et patiens, aperit, præsertim in bello Mutinensi, aut in Antonii extrema commoratione apud Alexandrinos. Sed potuit etiam ex Sicilia litteras Octaviano scribere Cassius, dum Sexti Pompeii partes sequeretur. Patet

(1) Cicer. *Philipp.* III, 6, sqq.; XIII, 9.
(2) Weichert, *l. c.*
(3) Sueton. *Aug.* XVI.
(4) Tacit. *Annal.* IV, 34.
(5) Cf. Weichert, *l. c.*

conjecturis campus infinitus. Neque enim tum satiatum odium conquiescebat. A primordio in Octavianum inimicitia deflagravit. Vix ubi Cæsaris percussor ex ossibus dictatoris oppressi alterum jam exoriri Cæsarem sensisset, iram illam induit implacabilem inexpiabilemque cui nulla res, nulla ratio, nulla publicarum clades finem attulit, dum miserrimo poetæ, Athenis post Octaviani victorias delitescenti, jugulum ferro Q. Attius Varus, jubente imperatore, perruperit. Non necesse est Cassium exspectemus dum ad Antonium venerit, si peropportunam scribendi litteras occasionem aucupemur. Nec illam, quam fere sancire voluit Aug. Weichert, Cassium inter et Antonium communionem societatemque in Alexandria, opperiamur. Manebat jamdiu penitus infixa mente in Octavianum simultas, quæ melius properato et infido fœdere ac sævius in jurgia atque opprobria virum suscitabant. Nec ipsum, nec ullum alium latebat toto orbe quærere Octavianum Cæsaris occisores, neque minimum sibi otium condonare donec universos eos qui aut consilii aut facti conscientia alligabantur, funditus everteret atque exstingueret. Quippe talium facinorum *ultor est, quisquis successit* (1). Futurum igitur et certum interfectorem, omni modo ac ratione, et bellando et scriptitando, si non armis, at verbis pungebat usque ac lacerabat Octavianum Cæsarem Cassius Parmensis. Non otiosa oblectatione ac desidioso silentio (medius Fidius) domi remansit, donec Marcum Antonium in edictis contumelias congerere suum ingenium dehortaretur.

Si vero jam liceat nobis aliquid ea de re tractare, potius epistolæ Cassianæ fragmentum ad initia irarum in Octavianum, quam ad extremos illos annos Alexandriæ transactos, referendum censuerimus. Continet enim hæc opprobria quæ mortalibus objici solent quum e vulgari privatoque ordine jam erumpunt altioraque appetunt. Quo tempore, quam longum est, non adolescentiæ suæ tenebris

(1) Tacit. *Histor.* I, 40.

egressi sunt, nemo est qui eos oratione infensa tangat; vix autem primas aut cupiunt aut in eo sunt ut rapiant, extemplo in hominis jam assurgentis cunas oculorum acies intenditur, ac si quis inde aut obscurioris originis, aut paternæ vilitatis, aut maternæ ignobilitatis vestigium introspiciatur, omnium fit irruptio, et nimia audentem exagitant rumoribus, et nihil non tentant quominus depressum, ac dejectum infamia ortus perstringant. Quum vero fama et armis jam constitit et multos patientia animi atque diligenti industria præteriit, non jam ut antea, natales objiciendo divellicant, sed rerum et factorum ignaviam, si quid aut turpe aut deridendum fecerit, exprobrant. Sic, postquam, Apollonia relicta, Brundusium Cæsar Octavianus devectus, et mortem dictatoris audivit et avunculi hæreditatem accepit, et suam futuram esse Romam sibi pollicitus est, et honores ambivit, tum conviciis omnes, ac præsertim qui liberos ac civiles gerebant animos, juvenem simulatorem, at maxima jam affectantem explosere, et avitam farinam avitumque collybum, ni fallimur, irriserunt. Quum autem, per optimos aut bellorum duces aut regiminis auxiliatores, multa sibi comparavit, Lepidum depontavit, Antonium ejecit, Pompeium obruit, Octavianum, potentem opibus et civitatis dominum, non levibus cachinnis, non super proavi pistrino atque avi feneratoris manibus decoloratis irrisione subruere poterant. Res navibus et equitatu et totius Orientis viribus ad Actium peragenda erat. Potuerunt sane etiam tum conditionem originis cavillari, nec tamen fecisse verisimile est.

....

§ III. Epistola Cassii (Parmensis?) ad M. T. Ciceronem.

Sinceram fuisse Cassii Parmensis epistolam ad Antonium, quæ a Plinio memoratur; sincerum esse et epistolæ fragmentum ad Octavianum, quod tradit Suetonius, dubitari non potest. Sed fuere nonnulli qui epistolam aliam, M. T. Ciceroni scriptam, integram et usque in hunc

diem servatam (1), Cassio eidem Parmensi retulerint (2). Non scripsit Cassius Parmensis. (3)

(1) Cf. Cic. *Epist. ad famil.* xii, 13.

(2) De iis qui retulerint, cf. Schütz, ad Cicer. epist. tempor. ordin. disposit. t. vi, p. 354. Cum quibus facit Drumann, Hist. rom. t. ii, p. 162.

(3) Cf. Weichert, p. 290-295.

CAPUT II.

NUM INTER HISTORICOS ANNUMERANDUS SIT.

Romanis annalium scriptoribus Cassium Parmensem adscribit G. J. Vossius (1). Quod mirum habemus, quum nemo, ne commentarioli quidem sarcinator sit apud antiquos qui tale quid enarraverit. In errorem igitur delapsum esse virum inter criticos eximium fateamur necesse est. Non cavit. Sed tam subtilis judicii aciem quæ detorserit causa, haud omnino latere forsan aliquis merito asseveret. Quum enim in Appendice homines latinos suo quemque nomine appellet, qui ecquid historici scripserint dicere non habet, Cassii Parmensis epistolam ad M. Antonium indigitat, Plinio citatam. Credere est has Vossio visas esse literas rerum actarum documentum et quasi fontem quemdam ex quo illi multa, qui annalium curam susciperent, haurire possent et veram conficere narrationem. Non autem eo adducemur ut Cassio Parmensi alium quempiam, præter Cornelium Severum in re poetica et Cassium Etruscum, a Vossio commutatnm esse credamus (2). Fuit iste tamen nonullorum erroi. Confusa nomina turbationem acutissimis viris quamdam attulerunt. Plurimi nempe exstitere apud veteres Cassii, et doctrinæ et ingenii laude notati, quos non semper aut prænomine, aut cognomine, aut alia quavis notula discriminis insigniverunt. Atqui Cassiorum unus alterve in componendis historiis versati sunt aut versatos eos esse crediderunt homines; plures etiam fuere quos cum Cassio Parmensi temere commiscuere nostrates. Sic Cassius

(1) Opp. vol. IV, p. 260, in Append. ad libr. III, de Hist. latin. *Amsterdam*, 1689.

(2) Ibid. III, p. 257-258, de Poet. lat. II, quum de Cassio Parmensi, quem non merito *Severum* appellat, disserit, nescio quid male meditans, versus admovit horatianos super Cassio Etrusco (*Sat.* X, lib. I), et ea quæ in Instit. orat. X Quinctilianus de Cornelio Severo docuerat.

Etruscus, pessimus ille versificator, Horatii versibus et ipsis commentatorum censuris notatus, pro Cassio nostro sæpe in optimos libros irrepsit (1). Qua via etiam erravisse non possumus quin doleamus gravissimum judicem et sagacissimæ naris Richard *Bentley* (2). Sed, utut se res habeat, non historiis incubuisse fertur ille Cassius Etruscus. Nec ejus cum Cassii Parmensis nomine confusum nomen eo quemquam deducere potuit ut vocabulorum communium errore delusus Parmensem Cassium inter historiarum scriptores deferret. Ad Cassios vere historicos jam digrediamur.

Quos inter primarias sedes obtinet Cassius Hemina. Plinius hunc vetustissimum auctorem annalium fuisse memoravit (3). Quum inter utrumque Cassium, Heminam et Parmensem, anni interserantur plus quam centeni (4), nulla causa est cur inde errorem derivatum esse videatur.

Alius fuit Cassius quem Titum Cassium appellat junior Plinius in epistolis (5); qui etiam historias scripsisse eruditissimo viro Scipioni Maffei visus est (6). Nomen ipsum Titi Cassii, natalemque locum, et scribendi, quod ei imputatur, genus, summa arte excussit Augustus Weichert (7), absolutissimisque argumentis id confecit ut

(1) Horat. I, *Sat.* x, 61; Cf. scholiast. Cruquian., in hunc locum. Errorem sustulit optimis argumentis Aug. Weichert, p. 212-226.

(2) Rich. Bentlei, in Horat. I, sat. x, 59. Nec obliviscamur haud brevissimum quod Sabbathier scripsit Onomasticon (Diction. pour l'intellig. des aut. classiq. gr. et lat.), t. ix, p. 587, *Paris*, 1770. Quo loco ex Horatii carminibus non bene intellectis, Etruscum et Parmensem in unum conjungit et colligat non indoctus, sed incuriosus enarrator.

(3) Plin. *Nat. hist.* xiii, 13. — Scripsit etiam *de Censoribus;* teste Nonio, in v. *Moliri*. Cf. Aug. Krause, in vit. et fragm. veter. Hist. rom. *Berlin*, 1833; et Fr. Lachmann, *De fontibus histor. T. Livii*. Vid. Weich., p. 180-181.

(4) Res liquet ex Censorino de Die natali, cap. xvii : « At Piso Censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos (*ludos seculares*) tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss., id est dc anno tertio. » Edit. *Basil.* 1528, p. 66, R°.

(5) C. Plin. iv, *Epist.*, xxviii, § 1.

(6) Scip. Maffei, *Verona illustrata*, Parte seconda, contiene l'istoria letteraria; p. i, p. 15-19.

(7) Aug. Weichert, de Cass. Parm. p. 181-190.

historicum hunc an poetam aut quidlibet aliud fuisse maximopere dubitemus. Nec inde igitur error dependet.

Cassium tandem Severum adeamus, notissimæ dicacitatis oratorem ; quem plurimi cum Cassio Parmensi, vel apud veteres fuere qui commiscuerint (1). Et hunc historias scripsisse ferunt, historicis saltem prope vicinus ac finitimus fuit. Cretam relegatus, opus de Ægypto ad Tiberium imperatorem edidisse existimatur. Qua in lite P. Plinium etiam maximum testem advocari licet (2). Nec tamen hoc libro quid sibi propositum habuerit in scribendo Cassius Severus manifestum est. Forsan et chorographiam, Ciceronis exemplum secutus (3), non πραγματικὸν λόγον (4), conscripserat. Credidere tamen nonnulli et historias scriptas esse a Cassio Severo. Justus Lipsius ad Tacitum (5), rei fidem fecit, unice loco Suetonii nisus, de gente Vitellia agentis : « Contra plures auctorem generis libertinum prodiderunt ; Cassius Severus, nec minus alii, eumdem et sutorem veteramentarium (6). » Sed quis credat hæc in historia quemquam scripsisse ? Nonne verba ipsa aut epigramma juvenile, aut famosos libellos redolent Seriphio saxo mox puniendos ?

Quæ quum ita sint, non injuria historicorum ludo eliminari Cassium Severum patiaris. Eliminavit et Vossius. Qui præsertim id instituit ut Justo Lipsio in Corn. Taciti libris, quod rarissimum est, decepto, obloqueretur (7). Sed, quanquam manifestum est Cassium Severum scribendæ historiæ non incubuisse, credidere multi simile quid eum

(1) Rei exemplo sit Apuleii locus, in libello De *orthographia*, § 28. Inter nostrates, Fabricius, de Crucque, Lambin, Dacier, etc.

(2) Plin. *Nat. hist.* xxxv, 15.

(3) Cf. Cic. Opp. ed. cl. J. V. Leclerc, t. xxix, p. 398, ex Prisciano, vi, p. 717.

(4) Cf. Polybe, i, 1 ; iii, 116, 7.

(5) Juste Lipse, *in Tacit.* edit. Antverp., 1668, p. 115, *not.* 59.

(6) Sueton. *Vitell.* ii. Unde etiam Scip. Maffei : » Cassio Severo, istorico citato da Suetonio in proposito dell' origine di Vitellio. » *Verona illustrata*, part. i, Dell' istoria di Verona, libro sesto, p. 120. Non tamen et Parmensis et Severi pervertit nomina.

(7) Cf. Just. Lips. in Tacit. Annal. iv, 21 ; Glandorp, *Onomast.* p. 209 ; Torrentius, In Sueton. Calig., xvi.

evulgavisse. Unde facile colligas cur etiam Cassium Parmensem retulerint inter historicos, si forte et Severum et Parmensem tolerantius incautiusque confuderint. Habes igitur et deprehensum tenes erroris originem. In quem prolapsum esse magni nominis et exquisitæ doctrinæ viros jure succenseas (1). Monuerant tamen, vel ante Vossium, ne caderent Lilio Giraldi (2) et Pier Crinito (3), qui summa cura utrumque Cassium distinxere.

Sed nemo accuratius et illos de quibus modo nobis sermo incidit, et ceteros omnes, utriusque Cassiorum familiæ, et patriciæ (4) et plebeiæ (5), percensuit, quam ille antiquitatis peritissimus vir, Augustus Weichert (6). Hic nihil sibi profecisse visus est, nisi singulos eos numeratos et discretos, in ordine quemque suo disposuerit. Quotquot igitur fuere Cassii, litteris aut noti aut nobiles, examinavit, et Heminam, et Severum, et Etruscum, et Parmensem; et si quos etiam, somno similiores levissimo, Maffei in *Verona* sua illustrata, aut errore lapsus, aut nimio municipii sui amore distractus, excogitaverat, eos, optimo disserendi genere excussos, objectaque tæda expallescentes, ad domum exilem plutoniam detrusit. In his occupatissimus fuit Weichert, ne unum omitteret qui a Cassio Parmensi distingueretur, aut unum admitteret cujus natalitia non bono et recto jure celebrarentur. Rem etiam litterariam peregit et genera carminum quibus Parmensis Cassius stylum exercuisse traditur, inspexit. Quo argumento nos potissimum immoratos ea præcipue cura detinuit, si, ducem clarissimum ac in latinis litteris erudissimum (7) secuti, hoc saltem meruisse videremur de

(1) Cf. G. J. Vossius, *De histor. lat.* I, 21, ed. 1651, p. 109-110.

(2) Opp. p. 160, De poet. lat. Dialog. IV.

(3) De poet. lat. III, 47, p. 469.

(4) Viscellinorum.

(5) Longinorum; de qua Tacitus, *Annal.* XII, 2. De utraque Fulv. Orsini, in *Famil. Roman.*, p. 67; Cf. Glandorp, in *Onomastic.* p. 202, sqq.

(6) Cf. Weich. de Cass. Parm. p. 179-226.

(7) Præter commentationes eximias de L. Vario et Cassio Parmensi poetis, quas et laudavimus toties et secuti sumus in multis, plurima indicare quid

Cassio, quod ex ejus poeticis operibus versiculi fragmentum, et ex solutæ orationis monumentis epistolæ tantum particulam superavisse confirmaretur.

EPILOGUS.

I. *Orpheus* enim, neutiquam latinum carmen, recentem et deprehensum auctorem habet. Neque ex opusculo illo hexametro colligi posset, modo Cassianum foret, aut epicum, aut pastoritium fuisse poetam Cassium.

II. Epigrammata, elegias et tragœdias confecisse manifestum est; ad nos modo tenuis rerum perlabitur notitia; quod citat Quinctilianus Cassianum epigramma, quæ retulit ἀνωνυμεί super Octaviano carmina Suetonius, credi potest non esse Cassii Parmensis. Periit elegidiorum libellus; perierunt et tragœdiæ, excepto *Bruti* fabulæ fragmento. Non fuit Parmensis poetæ Io tragœdia.

III. Epistolas scripsisse eum contestantur antiquorum auctores gravissimi. Sed unum superest in Tranquillo frustulum, haud ignobile. Jam historicis, nullo veterum testimonio, sed miserrima nominum permixtione insertus est Cassius Parmensis.

moremur? Epistola critica de C. Valerii Flacci Argonauticis (Lips. 1812, Meiss. 1821) litterato cuique innotuit; nec referamus tot manibus obtritum volumen de poetarum latinorum reliquiis (Lips. 1830). Quo nihil neque doctius, neque exquisitius memorari queat, nec unde plus lucis in Hostii, Lævii, C. Licinii Calvi, C. Helvii Cinnæ, C. Valgii Rufi, Domitii Marsi, totque aliorum vitam et carmina, possit accedere. Quid adjiciamus aut *Lectiones Venusinas* (1832, 1833, ac denuo 1843), aut de *Imperatoris Cæsaris Augusti scriptis eorumque reliquiis* Commentationes (Grimæ, 1835, 1836, ac denuo 1841)? Omnia hæc notissima.

RERUM INDEX.

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII non. septembr. ann. MDCCCLI.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
CAYX.

